THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM ET HISTORICARUM PARS II.

CUM

Andreæ Riveti Fragmento docto qvodam, & Cl. Salmaſii, Andr. Duditii, Jac. Arminii, Paulli Merulæ, Simonis Epiſcopii, Steph. Curcellæi, Joh. Duræi, Petri Serarii, Joh. Bergii, Barthol. Stoſchii, Jac. Acontii, ac G. Michaëlis Lingelshemii Epiſtolis, diu è MSSis illorum adſervatis & nunc primum editis.

LUGDUNI BATAVORUM.

Apud { FREDERICUM HAARING, & DAVIDEM SEVERINUM. } 1698.

DOCTRINÆ, MORUM, INGENII
ET FAMILIÆ GLORIA NOBILI

AC ILLUSTRI DOMINO,
DOMINO

EBERHARDO JUSTO LEWE

Domino in Luidema ad Uſqvert
& der Handzow &c.

Studiis Humanitatis & Juris operanti

THOMAS CRENIUS

S. P. D.

Reſpondentem Illuſtri Tuæ proſapiæ, nobili Majorum tuorum nomini, optimæqve Tuæ indoli, acerrimum & nobiliſſimum diſcendi ardo-

 rem

rem proficiendiqve cupiditatem intuens, TIBI præ ceteris omnibus qvotidie, uti ſcis, me circumſtantibus operamqve meam qvalemcumqve depoſcentibus Dominis Studioſis, dextram & fidem porrexi, tempusqve variis noſtris furtô qvaſi occupationibus ſubductum TIBI in optimarum artium ſtudiis erudiendo, bonis, ut Tullius ait, ſuccesſis impendi; imò ne qvid deeſſet, in contubernium recepi & familiaritatem, qvam anxiè efflagitâſti.

Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, & reqviem pariter diſponimus ambo,
Atqve verecunda laxamus ſeria menſa.

*ut cum Perſio * dicam. Meruit per-*

* Sat. V. 41.

perinſignis illa Tibi & annis maturior virtus, qvâ celebrem hanc illuſtrâſti Academiam, ut omnia TIBI omnes & officia noſtra cum promptis dedicaverimus ſtudiis. Me ſanè cumprimis adeò Tua in litteris contentio, in moribus elegantia & comitas cepit, ut ſatis, qvantum TIBI cupiam, explicare non valuerim adhuc. Ceterùm ne verbis tantummodò meum TIBI declararem adfectum, viſum eſt huic qvalicumqve opuſculo, tertiam qvod mearum Animadverſionum partem facio; Generoſum Tuum præfigere nomen. Qvod tametſi ſpecie minutum videatur, tamen propiùs inſpicienti fortè probabitur, ut ad cognitionem Philologiæ ac Hiſtoriæ qvam amas, nonnihil adlaturum. Faſtidioſum eſt hoc ſeculum, è mente ſummi alicujus viri, cui nulla placet cæna, niſi valde dubia, nec

iter ullum niſi in qvo crebro interjungitur. Qvare longa ac perpetua ſcriptorum moles nihil hic habet qvod agat: exſpectanda eſt illis ætas alia, qvæ firmioris ſtomachi homines producat. Interim obſeqvendum nos iis putavimus inter qvos vivimus, qvorum pleriqve nec otium ferre nec negotium poſſunt. Minimè verò maledici formidandi ſunt aut æmuli, qvos qvi metuunt, nihil litteris commendabunt, ſed taciti morientur ac ignoti, ut fecit Hippaſus Metapontinus, qvi cùm eſſet Pythagoricorum omnium diſertiſſimus doctiſſimuſqve, veritus adeò eſt obtrectatorum calumniam, ut nihil ſcriptum reliqverit, auctore Demetriô. Eôdemqve pudore cohibitus Pyrrhon & complures alii doctiſſimi viri mirô tacuerunt ſilentiô; & ut detractorum ſuorum maledicta vitarent, oblivionem ſui

no-

THOMÆ CRENII

ANIMADVERSIONUM PHILOLOGICARUM ET HISTORICARUM

PARTIS II

CAPUT I.

§. I. UTilem ac probam de præfationibus ſub initium partis noſtrarum Animadverſionum primæ cœptam, & de librorum editionibus materiam ut perſeqverer, rogatus nonnullis ab amicis, deſtinavi hîc ei rurſus principium partis noſtræ ſecundæ. Henr. Salmuth principiò Secretarius & Feudor. Præpoſitus, poſteà Syndicus Ambergenſium Emeritus ex Italico, ſvaſu Præſtantiſſimi Medici & Philologi Norimb. Joachimi Camerarii, Latinam in Lingvam tranſtulit & notis egregiè inluſtravit Gvidonis Pancirolli celeberrimi JCti & Academiæ Patavinæ Anteceſſoris primarii Rerum memorabilium libros duos, qvos initiò annô M. D. IC. deinde M. DC. VII. in 8t. Ambergæ, cum erudita

præfatione edidit, qvam in Francofurtana recentiore M DC. LXI. anni in qvarto non invenio. Edidit in 12. Iſaacus Voſſius ſuis cum notis Juſtinum, & inſcripſit eum Illuſtri Thuroni Bielke; elegantiſſimam ejus ut & Matth. Berneggeri ſeqventibus in editionibus omiſerunt typographi dedicationem, veluti & factum Grævianæ Juſtini editioni Trajectinæ in 12. de anno M. DC. LVIII. qvæ Senatui Trajectino dicata eſt, & non ſine lectoris emolumento legitur. Eruditiſſimam maximi Buchneri præfationem Plauti editioni Wittebergenſi in 12. præmiſſam, cujus & Jo. Frid Gronovius in ad Lectorem præfatione Plauti editioni Hackianæ Lugdunenſi Batav. CIↃ. IↃC LXIV. in 8tav præfixa meminit, ſubſeqventibus in editionibus omnibus fruſtra qvæſivi Curavit Baſileæ in fol. Henrichus Petri C. Jul. Solini Polyhiſtora cum enarrationibus non contemnendis Joannis Camertis Minoritani, Artium & Sacræ Theologiæ Doctoris diligenter & ſatis induſtriè, addiditqve, omiſſis privilegiô Imperiali & non magnæ rei præfatione Lucæ Alantſæ Bibliopolæ, civis Viennenſis, reliqvas præfationes qvæ comparent in editione Viennenſi Auſtriaca per Joannem Singrenium, anno M. D XX. impenſis dicti Alantſæ excuſa: at malè fecit, qvod Camertis, uti credo de Magno Alberto judicium, poſt indicem & in calce iſtius repertum editionis neglexerit & ſuſqve deqve habuerit. Nos illud hîc addimus in eorum gratiam rarâ qvi iſtâ deſtituuntur editione: *Scio qvoſdam contracturos frontem, qvod in iis Solinianis commentariis noſtris, tam freqventer Magnum Albertum coarguerim. Id autem eâ ratione factum ſciant, ne ſcilicet qvempiam pulchrô allectum nomine, falſum pro vero, vel contrà, qvô ſtudioſis perniciosius nihil eſt, amplecti*

plecti contingat. Simulqeu ut quorundam tolleretur anilis error, qui in iis, in quibus Albertus à primæ etiam claſſis authoribus contraria prodidit, abjectis Ptolemæô, Solinô, Pomponiô, Strabone, Pliniô, Columellâ, Varrone, Theophraſtô; Ariſtotele judiciô omnium peritiſſimô, eiſqve non inferioribus, uni Alberto, ad aras uſqve etiam pejerando, credendum putant. Maluimus enim jure Albertum carpere, qvàm injuriâ amicam lædere veritatem. Miror qvoſdam politiorum etiam litterarum ſtudioſos, tanti eum facere authorem, cùm in iis, qvæ ad particularia, & bonas fruges maximè pertinent, raritate rarius verum dicat. Fatebuntur id, qvi libros ejus de natura locorum, de lapidibus precioſis, de vegetabilibus, & plantis, de animalibus, deqve aliis qvàm plurimis diligenter introſpexerint. Niſi qvis non Alberto, ſed tempori, qvô floruit, culpam tribuat. Aſſuit alia me rurſus cauſa movens magis, qvòd is Solinum, qvem in manus ſumpſeram exponendum, præter jus omne, id eſt, in qvibus verum dicit, plerumqve laniat, & ſugillat. Peperci Alberto plurimum, Deum teſtor, cùm ſexcenta errata ejus alia, qvæ jam ad manus erant, iis Commentariis inferre diſtulerim. Vellem Alberti ſectatores tam gratum eis authorem in manus ſumerent eumqve tandem qvacumqve ratione, ab erroribus vindicarent. Sed reòr hoc laborioſius multo eſſe, qvàm vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam ſubtrahere. Hæc ille. At & apud non notæ infimæ ſcriptores Solini non adeò magna eſt auctoritas. Nullibi enim ferè non Plinium exſcribit, cujus & SIMIA ea de cauſſa dictus fuit. Brodæo in Oper. Cyneget: *Plinius* Solini *Magiſter eſt*: & *niſi Solinus Plinium tranſcriberet, tam parum ipſi* Ferdinandus Pintianus (homo Hiſpanus,

 poſt

poſt omnes auctore Hadrianô Juniô in tertio Animadverſorum c. I. p. 110. edit: Baſileenſ: 1. 5. 56 in 8t. *omnium in Plinium adnotationes præclarè de eo auctore meritu) deferret, ut minus neqviret.* Qvi ipſe in notis in Plinium, ubi & præcedentia habet, *Solinum* eſſe *parvum Plinium ob id, qvòd Plinium transſcripſerit* tradit eſſe vocatum, qvia & non rarò *depravatam* ipſum *eſſe Plinii lectionem* ſeqvutum. Ipſe ille primò in Animadverſorum libro Junius c. VII. p. m. 21. *Plagiarium Plinii* Solinum adpellat. Qvâ gente, & qvando fuerit, non ſatis conſtat. Ægyptium fuiſſe, conjecturæ qvædam adſunt, ſed parum firmæ. Stylus adfectatus peregrinum & non Romanum fuiſſe, ſatis videtur arguere, ac miror. inventos fuiſſe, qvi Plinianæ Majeſtati propiùs acceſſiſſe exiſtimaverint. Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis p. 226. *leviſſimum ſcriptorem* adpellavit: ob futilitatem judicii credo, qvò in concinnanda farragine ſua uſus eſt. Vide Voſſium lib. III. de Hiſtoric. Latinis p. m. 720. Item Salmaſii Prolegomena in Solinum, ê qvibus, qvia liber ut anteà rarus, ita nunc pretioſus non in omnium manibus eſt, ſeqventio do: Solinus *cùm omnia, quæ habet, Plinio accepta referre debeat, auſus eſt tamen mentiri qvæcumqve ſcriptô prodidit, de auctoribus manâſſe receptiſſimis. Qvi non videt eum omnia è Pliniano opere tranſcripſiſſe, prorſum cæcus eſt In qva cæcitate non ſolùm pleriqve fuêre avorum noſtrorum ætate doctiſſimi viri, ſed etiam hodie verſantur multi. Amicum ſcio qvemdam meum, cui non potuit aliter perſvaderi, cùm alioqvin doctus ſit & naris emunctæ Atqvi non pauca poſſunt ex Solini ſcripto argumenta duci qvæ contrarium omnino evincant. Ea ſuis locis excuſſimus. Sed heic etiam repetenda qvædam. Teſtatur Plinius* lib.

lib. ix cap. xxxv Lolliam Paulinam ſe vidiſſe Caji Principis matronam, ſmaragdis magaritiſque opertam alterno textu fulgentibus, toto capite, crinium ſpiris, auribus, collo, digitis, manibus, qvæ ſumma qvadringenties ſeſtertiûm colligebat. *Hæc Hiſtoria non habere potuit anteriorem Plinii ævô ſcriptorem, utpote qui ipſe fateatur ſcribere qvod viderit. Solinus hoc idem narrans non rem ſibi viſam refert, nec enim poterat, ſed vulgatam literis tradit, ac proinde oſtendit ab antiqviore auctore accepiſſe, qui alius non poteſt præter Plinium intelligi, cùm verbis pæne Plinianis id prodat.* Lolliam *inqvit* Paulinam Caji principis conjugem vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis tunc qvadringenties æſtimatam. *De tunica qvod ait, Plinii verba malè accepiſſe inde notavimus Tunc æſtimatam dicit qvia loqvitur non de ſuo tempore, ſed de re multo ante facta, qvam ſuis oculis uſurpâſſe confirmat Plinius. Qvô tempore hic ſcribebat, Parthi regnabant, ademptô pridem Perſis imperiô. Hinc de Perſide Plinius ita ſcribit lib.* VI. *cap.* XXV. Ipſa Perſis adverſus occaſum ſita obtinet littore CCCCL,(alii DL.) etiam in luxum dives, in Parthorum jampridem tranſlata nomen. *At Solini ævô jampridem Perſæ imperium reciperârant, ab Artaxare reſtitutum, occiſô Artabanô Arſacidarum ultimô. Qvod accidit annô qvartô Alexandri Severi Mammeæ Ideo Solinus cùm de Perſide ageret, in ceteris qvidem Plinii ipſa verba uſurpavit, ac ſeriem ſeqvutus eſt, ſed in hoc mutavit, qvia non amplius ſuâ ætate imperitabant Parthi, ac dixit Perſidem tranſlatam qvondam fuiſſe in Parthicum nomen*: Carmaniæ Perſis adnectitur, qvæ incipit ab inſula Aphrodiſia, variarum opum dives, tranſlata qvondam in Parthicum nomen. *Ex qvibus colligas etiam*

diu poſt Alexandrum Mammaæ floruiſſe hunc Solinum. Plinius de ſerico, qvod à Seribus invehebatur, ſermonem habens, ſolis mulieribus ſuâ ætate conceſſum ſericæ veſtis uſum fuiſſe indicat. Tam multiplici, *inqvit*, opere, tam longinqvô orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat. *Solas ibi mulieres nominat quæ ſericum uſurpârint. Qvin & alibi diſertim tradit ſolam veſtem bombycinam ex Coa bombyce viris in uſu fuiſſe, relictâ mulieribus Aſſyriâ bombyce, quæ ſerica erat veſtis. Solinus autem capite de Seribus planè ſignificat ſericum olim tantùm mulieribus, ſed ſuô tempore viris etiam promiſcè in veſtes receptum.* Hoc illud ſericum eſt in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum: & qvô oſtentare potius corpora qvàm veſtire primo fœminis, nunc etiam viris luxuriæ perſvaſit libido. *At promiſcuum ſerici uſum viris permiſſum vel admiſſum, non fermè reperias niſi poſt Alagabali imperium, aut etiam* Gallieni, *ut abundè alibi probavimus. Plura omitto quæ ſuis locis in Exercitationibus attigimus. Hæc ſatis erunt, qvibus etiam planum fiat non eſſe veriſimilem Camertis opinionem, cenſentis eâ re Plinii mentionem ſuppreſſiſſe Solinum, qvia viventis eôdem tempore meminiſſe auctoris noluerit. Hoc ſi eſſet, ne ſic qvidem liberandus foret furti crimine, cùm Plinius ingenuè non ſolùm qvi proximè deceſſerunt, ſed etiam cum maximè florentes ſe vivô ſcriptores laudare ſoleat ac teſtes citare.* Hæc Salmaſius. Eſt & Solinus unà cum Pomponio Mela & Æthici Κοσμογραφία cum Notis variorum Lugduni Batavor. editus in 12. annô M. DC. XLVI. à Martino Antonio Delrio è Manuſcriptis libris emendatus non ſine ejus, ad Lectorem præfatione; omiſſâ tamen dedicatione non inutili, qvæ eſt ad Cardina-

lem

lem Granvellam. Licet in ea non levis deprehendatur error, ac ſi Solini Macrobius meminerit: qvod qvàm falſum ſit, oſtendit initiô qvidem ab ea deceptus, poſtea verò meliora doctus Voſſius locô jam adductô, qvem lege.

§. II. Edidit Venetiis M. D. LV in 8t. Paullus Manutius Aldi Fil. Terentium cum notis & doctiſſima dedicatione M. Antonii Mureti, qvâ honoravit Jacobum Surianum Patricium Venetum. Chriſtoph. Plantinus Antverpiæ in 8t. CIↃ IↃ LXXX. Matthias Bergius Brunſvicenſis Lipſiæ CIↃ IↃ LXXIIII. in 8t. Gregorius Wagnerus Reſellianus Tiguri apud Fratres Geſneros in 8t. ſine anno addito, niſi qvod dedicatio claudatur mentione anni 1550. & Joh. Philipp. Pareus Neapoli Nemetum CIↃ IↃ CXIX. in 4to. repetiverunt & recuderunt dicti Mureti notas nullâ planè dedicationis illius utiliſſimæ ratione habitâ. Et qvod mirêre omiſit illam & Thomaſius in editione ſua Lipſienſi Mureti Orationum, Epiſtolarum & Poëmatum de anno M. D. C. LXXII. in 8t. Cùm tamen alias Mureti præfationes primô & ſecundô epiſtolarum librô legam. Operæ pretium duco adponere hîc judicium viri non qvidem adeò libris editis clari, ſed tamen ſubactæ & reconditæ eruditionis Matthiæ Bergii, dicti de Mureti in Terentium notis, qvod legitur in p. 387. ſ. Admonitionis de editione ſua, cujus paullò ante mentionem fecimus, Terentii, & ſcriptura in eo qvorumdam ab Orthographia abhorrente, deqve expoſitione hujus generis ſcriptorum; ita habens: *Judicavi operæ pretium me facturum, ſi cum Fabriciano exemplo duas alias editiones Faërnicam & Muretianam ſedulò compararem: qvarum editionum alteram eqvidem valde probo: altera utut ſuos approbatores*

 in-

inveniat, mihi minus placet. Muretianam dico, qvæ cùm jam eô tempore qvô primùm edebatur, in qvibuſdam mihi valde probata, in multis fuiſſet ſuſpecta: tum jam multo magis, dum ſingula attentiùs conſidero, inſincera deprehenditur. Ac pervertit Muretus cum aliis modis qvædam, tum longè plurima dictionum ordine contra omnium aliarum editionum fidem mutando. Qva in re an magis videatur ſeqvutus eſſe librorum veterum, qvos jactat, auctoritatem, qvàm ſuum judicium, non pronuncio. Cogitare ſanè aliqvis poſſet, ita eum in has ineptias incidiſſe, dum qværit, ut qvam optimè verſui conſulat, & tamen vitet illas in mediis dictionibus factas eliſiones vocalium, horridas qvidem illas, ut videtur, & fragoſas, verumtamen, qvas cùm alii admiſerunt, tum vir eruditiſſimus & maximô judiciô præditus Joachimus Camerarius: cujus de verſibus Comicis ſententiam Muretus cupidiùs qvàm juſtiùs oppugnandam arripuiſſe videtur. Qvæ etſi ita habere nobis conſtaret, propter amatores tamen illius editionis itemqve propter aliqva rectè & utiliter à Mureto obſervata (qvis enim illud negaret?) putavimus faciendum, ut qvæ aliter apud illum qvàm apud Fabritium legerentur, ea in margine libri, Fabricianæ lectioni adjungeremus, qvæ qvidem non prorſus inepta eſſe judicaremus: talia enim prætermiſimus. Hæc Bergius. Dedit nobis Gabrielis Faërni emendationes in Terentium & Jo. Philippus Pareus in editione, qvam jam nominavimus, non adeo laudanda, qvippe non accedente ad elegantiſſimam & optimam H. Commelini editionem in 8r. de anno CIↃ IↃLXXXVII. in qva Terentii Comœdiæ ex vetuſtiſſimis libris & Verſuum ratione â Gabriele Faërno emendatæ, operâ & ſtudiô Petri Victorii comparent, ſicuti & ejuſdem Faërni e-

men-

mendationum libri ſex ſeorſim excuſi, unà cum ejus libro de verſibus Comicis imperfecto; & Eographii veteris Grammatici Commentariorum in Terentium Fragmento. Præfixæ ſunt admodùm eruditæ, raræ & utiles maximè Petri Victorii & H. Commelini præfationes, qvas ob vel ſolas illam editionem magni facio, ſicuti & dictam, ob ſolum Indicem, Parei. Adde tamen præter Lubecenſem Jac. Kockerti, & Argentoratenſem anni M. DC LVII. complectentem exqviſitæ doctrinæ Commentarios & Adnotationes Franciſci Guyeti & Jo. Henr. Boecleri, ſicuti & nunqvam ſatis laudandam ejuſdem maximi Boecleri Chreſtomathiam Terentianam. Adpono hîc M. Antonii Mureti de Faërno judicium: *Donatus*, inqvit lib. XV. Var. Lection. c. XVII. p. 418. (ita enim libri & paginæ numerus, qvi uterqve in mendo cubat, ponendus) edit Antverp. M. D. LXXXVI. *in Phormionem Terentii ſcripſerat, hoc loqvendi genere*, hoc age, *ſilentium imperari Gabriel Faërnus, homo Latinæ qvidem lingvæ non ignarus, ſed Græcæ prorſus expers: neqve hoc detrahendi ſtudiô dico: ita eſſe ſciunt, qvibus ille notus fuit: neqve id ipſe diffitebatur: ne poterat qvidem: is igitur hoc, qvia nuſqvam alibi legerat, ferre non potuit: & ut erat ingenioſus, confugit ad illud ſuum, ut diceret in veteribus libris Terentii ſcriptum fuiſſe* hoc age ſt: *ſed unam aut alteram literam eraſam eſſe: & verba illa Donati ad illud* ſt, *non ad verba* hoc age *pertinere Credo hoc acutè excogitatum eſſe: & agnoſco ingenium hominis, non tantùm qvid in vetuſtis exemplaribus ſcriptum eſſet, legere ſoliti, ſed divinare etiam qvid deletum fuiſſet. Sed qvia tardior ſum, qvàm ut illam tantam celeritatem ingenii ſubſeqvi poſſim: continebo me intra ſepta, & contentus ero iis, qvæ ab aliis confirmata reperio.*

§. III. Semel, iterum atqve tertiò, qvin.& ſæpius, M. Victruvius Pollio cum Gulielmi Philandri Caſtilionii Galli civis Romani adnotationibus, operas Typographicas calefecit & profectò non malè, ſi modò addita eſſet elegans Joannis Andreæ Doſſenæ præfatio Pariſinæ præmiſſa editioni Adnotationum Philandri in X. libros Victruvii de Architectura CIↃ IↃ XLV. in 8t. ob qvam locum illi libro mea in Bibliotheca concedo, qvamqvàm & fortè ceteris emendatius ſit hoc meum exemplum. Optima Horatii editio eſt Baſileenſis in fol. anni CIↃ IↃ XXC. partim juſtos commentarios, partim ſuccinctas XL. Grammaticorum tàm antiqviſſimorum qvàm neotericorum adnotationes complectens, non ſine qvibusdam qvoqve præfationibus. Habetur qvippe ibi & præfatio Henrici Glareani adnotationibus præmiſſa; at eam qvæ Horatio ipſi præfixa eſt, malè omiſerunt; veluti & utilem libellum Nicolai Peroti Sipontini Præſulis de metris Odarum Horatianarum, qvi legitur in calce antiqvæ editionis Friburgenſis M. D XL. in 8t quâ gaudeo. Eſt & ibi maximô Reipubl. litterariæ damnô omiſſus doctiſſimus Joh. Sturmii Commentarius in Horatii Artem Politicam qvi in 8t. prodiit Argentorati CIↃ IↃ LXXVI. Commendo & illum Horatium, qui ex Officina Plantiniana Raphelengii cum Commentariis & Enarrationibus Commentatoris veteris & Jacobi Cruqvii Meſſenii, Litterarum apud Brugenſes Profeſſoris & Jani Douſæ annô CIↃ IↃ CXI. in 4to. prodiit. Utor & magno cum emolumento editione Horatii ab Henr. Stephano nobis in 8t. data ſine mentione anni. Janus Rutgerſius Horatium ſuis cum notis Lutetiæ annô M. DC. XIII. editum ſuâ manu, qvam ſervo; ita Heinſio inſcripſit. *Dan. Heinſio J. Rutgerſius D. D. in*

talis

talis amoris ſignum, qvalem neqve umqvàm fuiſſe ſcio, neqve futurum puto. Frater fratri. Illius verò Heinſii notæ in Horatium impreſſæ ſunt in officina Plantiniana Raphelengii CIↃ IↃ CX. in 8t & *Lugd. Batavor.* CIↃ IↃ CXII. qvæ optima editio. Habeo illud exemplum, qvod propriâ manu *Clariſſimo & Conſultiſſimo viro D Johanni Borelio obſervantiæ ergo d.d. Autor Heinſius.* Accuratiſſimus Th Tre e i Poſnanienſis index Antverpiæ CIↃ IↃ LXXV. apud Chriſtoph. Plantinum ſatis emendatè vulgatus nemini non notus eſt. Plantinianum Horatii de anno M. D. LXXIX. exemplum in 4to. qvô inſignis olim ille Helmæſtadienſis Philoſophus Cornelius Martinus Antverpius, ut ejus manus, qvam charam habeo, teſtatur, uſus eſt, ut manuale habeo. Nicodemi Friſchlini Paraphraſis in duos Horatii epiſtolarum libros Francofurti M. D. XCVI. in 8. publicata adeò elegans & erudita eſt, ut vice commentarii qveat eſſe. Neqve ſpernenda eſt Paraphraſis in omnia, qvæ exſtant, Horatii Poëmata Eilhardi Lubini Francofurti annô M. DC XII. & Roſtochii (ſed non aqvè bene) M. D. XCIX. in 4to. edita. Eſt & in medio, ut Levini Torrentii & Nannii Commentarios, qvi ex officina Plantin in 4to. annô M.DC.VIII. exiërunt, taceam: Federici Ceruti Veronenſis Medici in Horatii Carmina, Epod Satyras atqve Epiſtolas Paraphraſis, Veronæ publicata annô M.D.LXXXV. in 4to. Duas hujus Ceruti epiſtolas, ſi auctor fortè placuerit, invenies in Oporini Grubinii Amphotid. Scioppianis p. 244. ſ. edit: Pariſ. CIↃ IↃ C XI. in 8t. Cumprimis placent mihi editio & notæ Guilielmi Xylandri Auguſtani raræ & doctæ in Horatium, Neoſtadii M. D. XC. in 8. qvas magno in Baſileenſi opere omiſſas eſſe indignor. In dedicatio-

tione eruditiſſima cenſet & recenſet interpretes qvoſdam Horatianos, & de Henrico Stephano ac Lambino agit, qvem ultimum habeo ex edit. Lutetiana CIↃ IↃ LXXIX. in fol. En tibi hic Joſephi Scaligeri judicium de eo, qvod tulit in ad Lipſium qvadam epiſtola XI. Sex Decadum Epiſtolar. Lipſianarum prætermiſſarum Offenbaci anno CIↃ IↃ CX. excuſ. p. m. 137. *Plautum*, inquit, *Lambini ſi vidiſti, non admiraris, certò ſcio. Eſt enim germanus planè illius Horatii Lambiniani, qvi Commentariorum mole laborat.* Præcedunt has Decades Epiſtolarum *Juſti Lipſii ad C. Svetonii Tranqvilli tres poſteriores libros Commentarii*, qvos vellem Trajectinæ editioni ultimæ additos. *Manutio*, inqvit in p. 127. Cogitationum de Variis Latinæ Lingvæ Ætatib. B. Borrichius, *viro accuratiſſimo tutiùs creditur, qvàm Lambino, qvi, qvòd ſæpe oſcitanter ſcripſerit, apud Scaligerum, alioſqve non raro vapulat.* At Mureto VI. Var. Lect. c. VIII. p. 145. Lambinus *vir acutiſſimò ingeniô accerimôqve judiciô præditus* audit.

§. IV. Francofurtanâ meliorem dicunt Lutetianam Plutarchi Operum editionem anni M. DC. XXIV. in fol. priori deſtitutus utor hâc, ſanctéqve adfirmo me in ea tot mendas advertiſſe, ut difficulter numerum illarum ad liqvidum redigere poſſim. Dedicationes omnes Xylandri omiſerunt res ſcitu maximè neceſſarias proferentes, unicâ duntaxat in poſteriori tomo præfatione retentâ, in cujus clauſula ingens admiſerunt mendum pro anno 1572. ponentes 1672. Diverſas ob dedicationes & præfationes non ſpernendas, omiſſamqve poſteriori in editione orationem maximi Boecleri privatam, cùm interpretationem auſpicaretur Velleji, ut de amneſtia ejuſdem diſſertationem ſecundæ

dæ editioni ademtam taceam, vel ex Diſſertationibus ejuſdem Boecleri Academicis n. XII. p. m. 584. ſ. edit. Argentoratenſ. in 8t. ann. CIↃIↃCLVIII. petendam: ambas cogimur comparare nobis editiones Vellejanas Boecleri optimas Argentorati M. DC. XLII.&XLIII. in 8t. impreſſas. Ab hac ſi diſceſſerimus, carere Lugdunenſi Preuxianâ, ſatis nitidâ ac elegante annô M. D. XCIIII. in 8t. publicatâ nullo modô poſſumus; continet enim, præter Auctorem ipſum non adeò mendoſè exhibitum, Aldi Manutii Scholia integra, Juſti Lipſii Animadverſiones; Jacobi Scegkii (lege Schegkii, vel Scheckii) notas, Raphelengii variantes Lectiones, deniqve non *Vincentii*, (ut falſô habetur in titulo) ſed Valentini Acidalii Vellejanarum Lectionum librum. Si dedicatio Scheckii non prætermiſſa fuiſſet præfixa editioni Francofurtanæ Joannis Wecheli de anno M.D.LXXXIX. in 12. cum Vita Velleji per Beatum Rhenanum & Scriptorum de Vellejo judiciis, ſufficere Lugdunenſis nobis poſſet, at propter omiſſa concedo & Francofurtanæ mea in Bibliotheca locum. Deſidero & ea in Pariſina editione in fol: M. D. CVIII.

§. V. Malâ fide per Beringos fratres Lugduni annô M. DC. in 8t edita ſunt Henrici Cornelii Agrippæ, ab Nettesheym armatæ militiæ eqvitis aurati, & Juris Utriusqve ac Medicinæ Doctoris, S. Cæſareæ Maj. â Conſiliis & Archivis Indiciarii Opera; utpote in qva multa omiſſa ſunt editione, qvæ in prioribus erant. Atqve ne hoc gratis dixiſſe videar, capias exemplum é tractatu de Incertitudine & Vanitate ſcientiarum atqve artium, in cujus C. LXIIII. p. m. 189. de Lenonia, ſeqventia hæc, qvæ ex optima, recognita, plena, & ſcholiis *marginariis* (retineo vocem in titulo

lo libri poſitam) illuſtrata editione, ſine loci adjectione, annô M. D. XXXVI. in 8t. excuſa, admodùm rara, daturus ſum, in Lugdunenſi planè dempta ſunt: *Jam verò etiam lenocinits militant leges atqve canones, cùm in potentum favorem pro iniqvis nuptiis pugnant, & juſta matrimonia dirimunt: ſacerdoteſqve ſublatis honeſtis nuptiis turpiter ſcortari compellant: malueruntqve illi legiſlatores ſacerdotes ſuos cum infamia habere concubinas, qvàm cum honeſta fama uxores, fortè qvia ex concubinis proventus illis eſt amplior. De qvo legimus gloriatum in convivio qvendam epiſcopum, habere ſe undecim millia ſacerdotum concubinariorum, qvi in ſingulos annos illi aureum pendant.* Hæc omnia, & alia fortè plura, neqve enim integrum hactenus contuli, pro more eraſerunt Adverſarii, clarum relinqventes documentum illorum qvid editionibus tribuendum ſit. At qvotuſqviſqve eſt Semidoctorum noſtrorum hoc qvi credat? in præſentia ad commendationem libri ſatis abundè ſufficit, ſi in Galliis magnâ typorum & chartarum elegantiâ editus ſit, licet demutilatus, præ truncatus atqve vitioſus. Porrò hic an Agrippa fuerit, qvod volunt Paullus Jovius in Elogiis Virorum litteris illuſtrium p. 187. Johann Baptiſta Poſſevinus & Latomus in Epitaphiis Agrippæ, exſtantibus dictô apud Jovium locô; Caſp. Schottus in parte Phyſicæ Curioſæ prima p. 142. Auguſtinus Lercheimer Tract. de Magia p. 87. ſ. & Bartholom. Anhorn part II. Magiol. c. II. p. 282. ſ. homo extremè impius, ſceleratus, & artem ob magicam ſummè infamis? hîc diſqvirere nihil attinet. Johannes ſanè Wierus in ſecundo de Præſtigiis Dæmonum libro, c. V. p. 110. 111. hôc ipſum crimine liberat: Imò ipſemet Leo X. Romanus Pontifex minimè

nimè ejus eum ſceleris habuit ſuſpectum, aliàs enim ipſum neqve *filium dilectum* vocâſſet, neqve ejus *in ſanctam Apoſtolicam Sedem devotionem* commendâſſet *& obſervantiam*, qvod tamen fecit, ut ex ejus patet ad Agrippam data epiſtola, Operum Agrippæ parte poſteriore exſtante, Epiſtolarum libro I. n.XXXVIII. p. m. 33. (ſi rectè numerus ponatur; nam 43. ut in meo Lugdunenſi habeo, vitium typographicum eſt, qvibus illa editio abundat) ita habente: *Pontifex Agrippæ. Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Ex literis venerabilis fratris Ennii Epiſcopi Verulani nuncii noſtri, aliorumqve ſermonibus de tua in ſanctam ſedem Apoſtolicam devotione, deqve tuo in ejus libertate incolumitateqve tuenda ſtudio diligentiaqve intelleximus: qvod qvidem nobis gratiſſimum fuit Qvapropter te in Domino magnopere commendamus, laudamuſqve iſtum animum atqve virtutem, atqve in eadem voluntate, atqve erga ſedem ipſam, atqve nos obſervantia permaneas; te hortamur, oſtenſuri, cùm ſe occaſio dabit, omnibus in rebus te & bene meritum de nobis eſſe, & in ſinu paterna noſtra charitatis eſſe receptum. Qvod tibi & præfatus nuncius noſter uberius declarabit. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die duodecimô Julii, Pontificatus noſtri annô primô.* Imò è lectione librorum Agrippæ animadvertimus; cum jam ſeniô confectum, & majori, qvàm dum juvenis erat, judiciô præditum, veluti fulminare in Magiæ ac ejuſmodi farinæ ſcriptores ac ſcripta, cujus hæc exſtant verba in p 104. optimi & emendatiſſimi ſuperiùs â me adducti, codicis mei, Libri de Vanitate ſcientiarum & artium c XLV. *Ex horum*, inqvit, *Goëticorum anagyri, profluxerunt omnes tenebrarum Libri, qvos im-*

pro-

probatæ lectionis Ulpianus *JC. appellat, protinuſqve corrumpendos eſſe ſtatuit. Cujuſmodi primus excogitâſſe dicitur Zabulus qvidam illicitis artibus deditus. Deinde Barnabas qvidam Cyprius Et hodie adhuc confictis titulis circumferuntur ſub nominibus* Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: *Item* Pauli, Honorii, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi *&* Eboracenſis cujuſdam, *qvorum nugas ſtultè ſeqvuti ſunt* Alphonſus Rex Caſtellæ, Robertus Anglicus, Bacon & Apponus, *& pleriqve alii deplorati ingenii homines. Præterea non homines modò, & ſanctos, & Patriarchas, & angelos Dei tam exſecrabilium dogmatum fecerunt auctores, ſed & libros â* Raziele *&* Raphaële, Adami *&* Tobiæ Angelis *traditos oſtentant. Qvi Libri tamen acutiùs inſpicienti, ſuorum præceptorum Canonem, rituum conſvetudinem, verborum & characterum genus, exſtructionis ordinem, inſulſam phraſim, apertè ſeſe produnt, non niſi meras nugas ac impoſturas continere, ac poſterioribus temporibus ab omnis antiqvæ Magiæ ignaris, perditiſſimis perditionum artificibus eſſe conflatos, ex profanis qvibuſdam obſervationibus noſtræ religionis ceremoniis permixtis, inſitiſqve ignotis multis nominibus & ſignaculis, ut perterreant rudes & ſimplices, & ſtupori ſint inſenſatis, & his qvi neſciunt bonas Literas.* Et in Libro de Vanitate Scientiarum cap. XLVIII. p. m. 114. *De Magicis ſcripſi ego juvenis adhuc Libros tres, amplò ſatis volumine, qvos de Occulta Philoſophia nuncupavi, in qvibus qvidqvid tunc per curioſam adoleſcentiam erratum eſt, nunc cautior hâc palinodiâ* recantatum volo. *Permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, qvod ſciam quibus rationibus oporteat alios ab hac perni-*

ni-

nicie dehortari. Qvicunqve enim non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in eluſione dæmonum, ſecundùm operationem malorum ſpirituum, divinare & prophetare præſumunt, & per vanitates magicas exorciſmos, incantationes, amatoria, agogima, & cetera opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercentes, præſtigia & phantaſmata oſtentantes mox ceſſantia, miracula ſeſe operari jactant. Omnes hi cum Janne & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. Sic ſerò ſapiunt Phryges. Satiùs tamen eſt ſerò ac declivi ætate ſapere, qvàm ſemper deſipere.

§ VI. Prodierunt Jacobi Sadoleti Cardinalis & Epiſcopi Carpentoractenſis, Viri diſertiſſimi *Opera, qvæ* (ut titulus præ ſe fert) *exſtant omnia* annô M.DC.VII. Moguntiæ ſumptibus Jonæ Rhodii in 8t. in qvibus epiſtolæ ad Sturmium nullæ, qvæ minimè omittendæ fuerant ab iis, qvi in Inſcriptione *opera omnia qvæ exſtant* promiſerant. Inſerta qvidem eſt una longa ad Genevenſes p.m. 484. ſ. qvâ in obedientiam Romani Pontificis eos reducere conatus eſt Sadoletus, ſed qvia eruditam Jo. Calvini reſponſoriam non adjecerant, ideo Qvirinus Reuterus, ut in CCLXXX. epiſtola Cll. & doctiſſimorum virorum ad Melch. Goldaſtum p. 336. ſcribit d. 14. Jul. 1609. Schrammio tùm ante ſeſqviannum dederat excudendam utramqve ſub hoc titulo: *De qvæſtione jam agitata, num ad Romanam Eccleſiam ſit redeundum? Diſceptatio epiſtolica inter Sadoletum & Calvinum. Mittam*, pergit ibi Reuterus, *tibi*, (i.e. Goldaſto) *ſi non vidiſti, veliſqve videre. Sanè multi probârunt hoc meum factum; qvia ſit operæ pretium, ejuſmodi ſcripta in lucem & memoriam revocare, qvæ plus ha-*

B *bent*

bent autoritatis qvàm novitia. Accedit, qvòd ex utriuſqve collatione verum poſſis ferre judicium ac incorruptum, cùm contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, ut vulgò dici ſolet. Continentur hæ epiſtolæ, veluti & alia aliqva Sadoleti ad Philippum Melanchthonem ejuſdem argumenti, prætermiſſa cum multis aliis in editione Sadoleti Moguntina, Diſcurſibus in Epiſtolaribus Politico-Theologicis de Statu Reipubl. Chriſtianæ degenerantis, tùm de Reformandis moribus & abuſibus Eccleſiæ cum Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Franciſci I. & Sadoleti epiſtolis. Francof. apud Sigenolphum Emmelium M. DC. X. in 4to. Invenio & in Aonii Palearii Verulani, viri eloqventiſſimi Epiſtolis duas Sadoleti ipſi inſcriptas, nimirum lib. II. p. 428. & lib. IV. p. 524. edit. Bremenſis M. DC. XIX. in 12. (Amſtelodamenſem enim Wetſtenii editionem ſuperiore annô emiſſam non habeo.) Prior legitur in editione Sadoleti Moguntina lib. V. Ep. xv. p. m. 112. At poſteriorem planè omiſerunt.

§. VII. Palearii mentione hîc ex occaſione Sadoleti injectâ, placet de eo, utpote non omnibus æqvè cognito, nobis olim lecta ac obſervata in medium adducere, qvò auctor iſte ſtudioſæ juventuti notior atqve acceptior reddatur. *Vixit*, inqvit Cl. Daniel Georg. Morhof celeberrimus Polyhiſtor. in p. 17. Collegii Epiſtolici, Lipſiæ M. DC. XCIII. in 12. editi, *circa id tempus* (Melanchthonis ſcilicet, Mori, Vivis, Camerarii, de qvibus loqvutus erat) *etiam* Aonius Palearius, *cujus editæ ſunt* Orationes XII. Epiſtolæ in qvatuor libros digeſtæ (adde & Poëma de animarum immortalitate in tres libros diviſum) *qvæ feliciter adeò exprimunt Ciceronem tùm qvoad dictionem,*

nem, tum qvoad numeros, ut dubitem, an præferendus illi aliqvis. Prima editio Baſileenſis in 8t. altera Bremenſis, qvam procuravit Matthias Martinius *in uſum Scholæ Bremenſis. Paucis, qvod miror! etiam viris doctis & acerrimis Latinitatis Cenſoribus cognitus iſte Autor fuit, ſed meretur profectò inter præcipuos numerari. Hîc mihi diſcrimen quaſi imitationis videtur. Nam longè aliter ſonat qvod Palearius ſcribit, qvàm Longolius & alii inepti Ciceronis imitatores.* Audiamus & Matthiam Martinium, cujus in p. 5. Præfationis Paleario præmiſſæ hæc ſunt: *Vivum hac in re nobis & benè dicendi vivendique & mala patiendi exemplum eſt hic ipſe* Aonius Palearius: *qvem aliqvamdiu in tenebris detentum literariæ luci magno merito ſuo reſtituimus: elegantiſſimi & integerrimi virum ingenii, feliciſſimum Tullii in re oratoria, & Lucretii in poëtica imitatorem: ſed, etiam in ſcholaſtico vitæ genere per ſe innocuo & qvotidianis docendi laboribus ſatis occupato qvàm acerbas & varias expertum calumnias! ab iis ferè profectas auctoribus, qvos & titulus & profeſſio ſua ad perpetuam dicendæ veritatis, & manſvetudinis colendæ atqve charitatis curam inſtituere debuiſſent; ſi iidem eſſe, qvi dici voluiſſent. Inter alias autem obtrectationes, mendaces omnes, una admodum mira eſt, ſumta ex commendatione qvadam amplitudinis & efficacitatis perpeſſionum Chriſti; qvâ nonnullorum, à Deo nomen ſed à Diabolo mores mutuantium hominum, δυσφορήτῳ τινὶ ὄγκῳ laborantium, in ſe odia, ad periculum uſqve, exaſperavit; eorum, qvi honorari ſatis ſe non putabant, niſi pro numinibus adorarentur. atqve ita hi ipſi libelli, Chriſtiane lector, non inanes tibi verborum ſonos ſubminiſtrabunt ad augendam lo-*

qvacitatem, qvâ nonnulli in tenui licèt doctrina tamen ad cœlos tolli volunt : ſed res qvoqve ſuppeditabunt optimas amœniſſimæ dictionis colore illuminatas. qvæ legentem allicere, detinere & ſine faſtidio poſſunt ſatiare. Hæc Martinius. Subjungam & verba Sadoleti ad Palearium è libro v. Epiſt. XV. p.m. 112. ſ. *Cùm epiſtolam tuam primò legiſſem, eaqve mihi vehementer placuiſſet, (eſt enim & ſvaviter, & ornatè, & peramanter ſcripta) ab illius ſtatim lectione ad poëma tuum me contuli, totumqve perlegi triduô : ſingulis videlicet libris in ſingulos dies collatis. De qvo, ut tibi verè exponam qvod ſentio, hoc judicii feci: eorum, qvi in eo genere voluerunt eſſe, ſanè qvàm paucos, & noſtrâ,* & *ſuperiore memoriâ, æqvè eleganter ſcripſiſſe atqve tu: eruditiùs certè neminem. In qvo mihi illud mirificè probatum eſt, qvòd hæc tua ſcripta non accerſitis, fucoſiſqve argumentis, neqve qvò magis poëtica videantur, à fabuloſa illiuſmodi Deorum vetuſtate repetitis: ſed ſanctâ & verâ religione condita ſunt. Ut qvemadmodum vultus pacatus, & conſtans in homine, bene affectæ mentis, & probi animi eſt indicium: ſic tua ita eximia erga Deum pietas, qvæ ſeſe in tuis ſcriptis primam offert: nos cogit de te, deqve omni ſenſu animi tui, excellenteqve doctrina præclarè exiſtimare. Ac cætera qvidem tuum carmen mirè mihi ſatisfecit : video enim qvos imiteris, qvid referre in tuis ſcriptis & exprimere conere: tibiqve neqve in eligendo judicium, neqve in conando fructum laboris tui abeſſe intelligo. Perſpicio etiam verborum elegantiam, ſententiarum acumen, numeriqve aptâ & variâ compoſitione delector. Sunt enim iſta omnia in te ita ſtudiô & curâ elaborata, ut ſint ubique nihilominus ingenii luminibus lita. Illud unum interdum (qvanqvam*

qvam

qvam admodum rarò) deſidero: qvòd cupiſſem nonnulla à te diſſeri explanatiùs, qvibus nunc percipiendis mens noſtra aliqvantulum laborat. Atqve illa (ne fortè mihi Lucretianum modum dicendi opponas) non ſunt ex eo genere, qvod difficultate rerum, qvæ tractantur, ſuâpte ſponte obſcurum propè neceſſariò ſit, in qvo ſolet juſta eſſe ſcribêntibus excuſatio: ſed è medio qvædam ſumpta, compreſſiùs abs te dicta ſunt, qvæ dilatari, & patere meliùs voluiſſem. Neqve ea tamen tam multa, ut pertimeſcas. Sed fortaſſe ut nodus robur, & ut nævus decus aliqvando, atqve ornatum, pulchro corpori afferre ſolet: ſic pleriſqve illa potuerunt videri iccirco eſſe quæſita: quòd curſus noſtræ cogitationis, fluentis in facilitate orationis, aptè illis interdum, tanqvam ſalebris, retinetur. Qvod qvidem ad veras laudes egregiè compoſiti carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, ut hoc planè confirmem, nihil me his aliquot jam annis in eo genere editum legiſſe libentiùs. Itaqve te jam ne hortor qvidem, ut qvô itinere inſtituiſti, eôdem porrò pergas. Satis enim tibi incitamenti, cùm judicium de te, expectatioqve hominum, tum fructus ille ingenii ſuaviſſimus, qvi in pangendo maximè & in commentando percipitur, debet afferre Qvi etſi omnibus eruditis datus eſt, cùm hi aliqvid ex ſe procreant atqve gignunt: uberior tamen adeſt poëtis. Qvanqvàm ego te non poëtam magis, qvàm oratorem eſſe ſtatuo: cujus rei facio ex epiſtola tua conjecturam. Ea enim ita commodè, & concinniter ſcripta eſt: ut facile intelligam, te utrumcunqve velis & ſuſcipere & poſſe præſtare. Et Epiſt. XVI. p. 114. ſ. *Superioribus proximis diebus, cùm eſſet allatus ad me liber Aonii Palearii, de immortalitate animorum, præclaram inſcriptionem præ ſe ferens,*

 eam-

eamqve rem totam heroicô carmine complexus, legere eum ſtatim perqvàm avidè cœpi: qvaſi tentaturus, an promiſſo ſatisfaceret, qvi tam ſublimem titulum operi ſuo præpoſuiſſet. Atqve ibi video, id qvod mihi primum ſummæ voluptati, deinde penè incredibili admirationi fuit, rem tantam qvanta altera nulla eſt, qvæ qvidem ſcriptorum ingeniis propoſita ſit, tam graviter tam eruditè, tam etiam & verbis & numeris aptè atqve eleganter tractatam eſſe, nihil ut fermè noſtrorum temporum legerim. qvod me in eo genere delectârit magis. Nam nec ſententiarum orationisqve ubertas, in tam difficili ac penè ſpinoſa materie, ulla deſideratur, nec in exponendis rebus reconditiſſimis lux atqve facilitas. Numerus porrò carminis is eſt, ut videatur Lucretium velle imitari, redolet enim antiqvum illud: ſed ita ſapore humanitatis conditus eſt, ut aſperitate dimiſſâ, vetuſtatis tamen auctoritas ſalva remaneat. Atqve hæc in univerſum. Illa jam partium ſingularum propria, nihil non Latinè dictum, nihil non accuratè, qvove judicium & diligentiam adhibitam eſſe non pateat: multaqve præterea ubiqve nitentia ingenii & venuſtatis luminibus, &, qvod ego pluris qvàm reliqva omnia facio, Chriſtiana mens, integra, caſtaqve religio, erga Deum ipſum honos, pietas, ſtudium, in eo libro vel maximè, non ſolùm docere mentes errantium, ſed etiam animos incendere ad amorem puræ religionis poſſunt. Sed qvorſum hæc, mi Gryphi? Primùm volui dare teſtimonium apud te doctiſſimo viro, ut qvid de eo ſentirem tu planè cognoſceres. Deinde à te petere, id qvod ipſe qvoqve, cujus volo cauſâ, & petit â te per literas, & ſummè flagitat, ut ejus hoſce treis libellos tuis formis exprimendos cures. In qvo ille valde ſuo

bona-

bonori, ego mea cupiditati ſatisfactum fore abs te arbitraturi ſumus. Et paucis interjectis. *Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum Actii Synceri, & Vidæ doctiſſimorum hominum, ac præſtantiſſimorum poëtarum ſcriptis adjunxiſſe: cum qvibus certè hic jure comparari poteſt. Nam & in eadem argumenti ſententia ſanctitateqve ornatiſſimè verſatur, & Philoſophiæ præterea rationibus uberiùs eſt inſtructus. Sed hoc tu per te æqvè bene cognoſces. Illud utiqve tibi perſvaſum habere debebis, qvicqvid in hac re ex mea & Aonii voluntate effeceris, id utriqve noſtrum fore gratiſſimum.*

VIII. Vir Cl. Anton. Teisſier Conſiliarius & Hiſtoriographus Electoralis Brandenburgicus part. I. & II. Elogior. p. 192 edit. Ultrajectin. M.DC.XCVI. in 12. poſt recenſita Philippi Melanchthonis ſcripta, *Syracidem* qvoqve Græcô Elegiacô carmine, Pſalterium item ab illo Græcis verſibus redditum, porro & Auguſtanam Confeſſionem hanc in Lingvam translatam, qvæ ſub Pauli Dolſcii nomine prodierint, item & Chronicon, qvod nomen Carionis præ ſe fert, eumdem Melanchthonem auctorem agnoſcere, è Placcio docet de Scriptis Anonymis p. 174. & 185. At ut de reliqvis omnibus in præſentia nihil dicam, ingenuè fateor me, etſi in Melanchtonis ſcriptis hactenus ſatis ſedulum & mediocriter verſatum, Syracidem Græcô Elegiacô carmine â Philippo redditum vidiſſe nunqvam, & non ab re dubitare an exſtet. Fortè confundunt viri docti Eccleſiaſten cum Eccleſiaſtico, ſive Syracide; illum, ſcilicet Eccleſiaſten Salomonis, Græcô carmine Elegiacô reddidit Paulus Dolſcius Plavenſis, vel, ſi ita vis, Phil. Melanchthon, habeo illum ex edit. Lipſienſi annô M. D. LIX. in 8. cui adjectæ ſunt in fine tres elegiæ ab eodem auctore, de Nativitate, Paſſio-

ne & Reſurrectione Chriſti ſcriptæ. at de hoc, nempe Eccleſiaſtico, nihil novi. Et qvia illius, Eccleſiaſtæ videlicet, verſibus redditi viri Clariſſimi non meminerunt in hac enumeratione ſcriptorum Philippi vel Dolſcii, confirmor in mea opinione, qvod Eccleſiaſticum, aut Syracidem ſumſerint pro Eccleſiaſta Salomonis. Dico *verſibus redditi.* Nam Philippi Enarrationis libri Salomonis, cui titulus *Eccleſiaſtes*, meminit Cl. Teſſier in p. 190. Sunt aliàs ſententiæ Syracidæ Græcè ſummâ diligentiâ & ſtudiô ſingulari editæ cum eruditis adnotationibus Joach. Camerarii Baſileæ annô CIϽ IϽ LI. in 8t. uti & Wittebergæ annô M. D LXVI. in 8t. cum docta explicatione Davidis Chytræi. Qvi duo ſcriptores paginam apud me utramqve faciunt.

§. IX. Qvandoqvidem verò hîc in Philippi Melanchthonis memoriam veni, miratus ſum, non ita pridem legens Maximil. Sandæi Jeſuitæ Pædiam Academici Chriſtiani Coloniæ Agripp. M. DC. XXXVIII. in 8t. editam, eum in Commentatione VII. p. 250. ſeqventia potuiſſe effutire. *A talium*, inquit, *Participiorum formatione commendant dubiæ fidei homines ſuperioris ævi putidum Grammaticum Philippum Melanchthonem, de qvo iſtorum Politicorum amicus Hiſtoricus*: (Thuan. lib. XVI. an. CIϽ IϽ LX.) In eo ſumma altercationum, ac rixarum fuga, ac maximum tranqvillitatis, ac qvietis ſtudium, ut niſi de neceſſariis contendendum minimè putaret. Nam poſſe conniveri ad nonnulla ferri deniqve multa debere. *Idem narrat, verò an falsò, qvis dicat? hoc magis proclive eſt credere, Franciſcum I. Regum Chriſtianiſſimum, cognitô Melanchthonis peculiari ad ſedandas eas, qvæ in Eccleſiam invectæ ſunt, turbas, ſtudiô, ad eum ſcripſiſſe, ut qvam primùm in Galliam ſe conferret,*

de

de unione doctrinarum cum ſelectis aliqvot Doctoribus acturus, qvò pulcherrima ſacræ adminiſtrationis concordia ſarciri poſſet. Scilicet, deerat in florentiſſimo Galliæ regno, tot doctiſſimorum Præſulum fœcunda parente Theologorum cœtus ad ſedandas in Religione controverſias, ut opus fuerit Heidelbergenſem Magiſtellum è Germaniæ angulo accerſere. Aptior erat Philippus, ut pueris, aut ludimagiſtris præſcriberet, ſicut fecit, qvomodo Participia præſentis temporis in ans, *vel* ens *deſinentia: futuri in* tus, *aut* rus, *formari debeant, qvàm, ut ipſe formulam ederet, qvæ participatione extremorum, & diſſidentium opinionum concordiam ſanciret, Tentavit tamen aliqvid, ut ſutor ultra crepidam, & Auguſtanam confeſſionem conſarcinando, conciliationis viam aperuiſſe videri voluit. Qvam qvi inſtiterunt, adeò ſe vel ſodalibus probârunt, ut* Adiaphoriſtæ, *&* Interimiſtæ, *cum execratione, vocati fuerint.* Hæc Sandæus, notiſſima pro more Jeſuitarum in dubium vocans & certiſſima. Legitur hæc Franciſci I. ad Philippum epiſtola, hujusqve reſponſoria, non ſolùm Tomô I. Epiſtolar. Philippi, qvem Gener ejus Caſpar. Peucerus Wittebergæ in 8t. anno M. D. LXV. edidit. p. m. 94. ſed & in p. 193. f. Diſcurſuum Epiſtolarium Politico-Theologicorum de Statu Reipubl. degenerantis. Francof. M. D. CX. in 4to. Porro, qvòd Philippum ut ſolùm de ſchola & Grammatica hominem traducit, ac in Politicis infantem habet, in eo equidem Jeſuitam fugit ratio, oſtenditqve ſe aut calumniari, aut non legiſſe egregias Melanchthonis diſſertationes & maximi momenti, qvas ſæpe per digreſſiones ſuis habet in Hiſtoriis. Ex ſex (tot enim numero) ſanè Epiſtolarum ejus partibus adparet, qvanta viri illius fue-

rit peritia rerum Germanicarum; & qvàm ſæpe maximis à viris in conſilium vocatus, magnamqve ſui utilitatem præbuerit, teſtis eſt integer omniqve exceptione major Joach. Camerarius in aureo ad vitam Melanchthonis commentario, qui & ſubjecit exemplum epiſtolæ Franciſci I. Galliæ regis. Utor optimâ in 8 t. Lipſienſi editione, 1.5. 66 ad qvam Batavica in 12. non accedit. Adde Joh. Jacobi Grynæi dedicationem, qvam explanationi ſuæ Danielis Prophetæ præfixit, Baſileæ editæ CIↃ IↃ LXXXVII. in 8 t. Item qvæ diximus part. 2. Methodor. noſtrar. p. 457. Qvarum & in p. 22. docet Budæus qvàm eruditi tunc fuerint Gallici Theologi.

§ X Vidi non ita pridem Epiſtolas Mahometis Turcarum Imperatoris elegantiſſimas denuò editas Francofurti & Lipſiæ annô M. DC. XC. in 12. curâ & ſtudiô Simonis Gœbelii Rombildenſis Franci, Latinitati donatas olim per, non *Laudinium*, ut vitioſè impreſſum eſt in p. 2. hujus novæ editionis, ſed Landinum, eqvitem Hieroſolymitanum, è qvo & argumentum epiſtolarum Gæbelius repetens, brevem cur ejuſdem præfationem eruditos nonnihil docentem ſeculo inviderit, eqvidem ignoro. Nos illam hìc adjicimus è. p. 464. admodùm raræ Farraginis primæ Epiſtolarum Laconicarum atqve ſelectarum, collectæ Gilberti Cognati Nozereni operâ, & Baſileæ per Joannem Oporinum excuſæ in 12. ann. CIↃ IↃ LIV. *Landini Eqvitis Hieroſolymitani ad Francinum Beltrandum in Epiſtolas Magni Turci Præfatio. Epiſtolas à me nuper in lucem editas, ad qvem potiùs mitterem, Francine, qvàm ad te, habui neminem. In qvibus non tam mihi laus ſcribendi, qvàm voluptas qvæſita eſt. Nam cum mei gratiâ colligendi, Citianum, Campaniæ oppidum, ſeceſſiſſem, has qvidem per otium*

otium minùs accuratè ſcriptas edidi, ut & tibi ſolitudinis, & ſtudiorum rationem non invito redderem. Commentarios verò, qvos olim ad ſummum Pontificem ſcribere aggreſſus ſum, ut in aliud tempus remitterem, ſuſcepti operis, magnitudo effecit. At ſcio tamen, qvòd me in hac re multorum maledictis expono. Adeò perverſa hominum ingenia ſunt, ut nemo ex conſcientia recti, ſed frontis arbitrio qviſqve judicet. Sic ubi jamtridem verum amiſimus, hoc de me poſteris judicium relinqvo: Nunc pueri naſum rhinocerotis habent.

CAPUT II.

§. I. Pervenit ex illuſtri qvadam bibliotheca non ita pridem ad me Conradi Bergii S. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Publ. & Eccleſ. Bremenſ. ad S. Anſchar. Paſtoris & Decani Praxis Catholica divini Canonis contra qvaſvis hæreſes & ſchiſmata, ſeu, de fide Catholica, ejuſqve imprimis fundamento, & Chriſtianorum qvorumvis circa illud conſenſu vel diſſenſu, Diſſertationes IX. Bremæ 1639. excuſæ in 8r. Cui libro cùm propriâ ſuâ manu inſcripſiſſet auctor Bergius: *Admodùm Rev. & Clar. Viro Dno Andrea Riveto, Theologo celeberrimo, Dno, Symmyſta & Fratri ſuo in Chriſto plur. colendo ac obſervando, totum hoc opus, pio ejus judicio & candori, lubenter ſubmittens cum ſalute officioſiſſima mittit C. B.* Perlegit iſtum librum Rivetus, doctaſqve qvaſdam adnotationes propriâ ſuâ manu illi præmiſit, qvas veluti fragmentum qvoddam, ne perirent, luci publicæ exponere, ac blattis & tineis eripere, pretium operæ cenſui, optans, ut omnes eruditi MSStis celeberrimorum viro-

virorum, qvæ ab eis poſſidentur, in uſum egregii publici ita faciant. In præfat. Sect. 3. dixerat Bergius. *Epiphanius Apoſtolicos, receptis ſolùm ſcripturis uſos dicit, ſi ne interpretatione &c.* reſpondet Rivetus: *Neutrum mihi videtur dicere Epiphan. locô citatô Hæreſ.* LXI. *De Catharis dicit, qvòd receptis ſolùm ſcripturis adhæreſcant, non addit*, ſine ul'a interpr. *De Apoſtolicis contra, qvòd* Actis Andreæ & Thomæ niterentur. *Pag. 66.* ad id, *qvod dicitur*, â Bergio, negationem dogmatis, de duplici natura Chriſti, divina & humana, de divin. Sp. Sancti &c. impium per ſe non facere, Rivetus ait: *Si id intelligatur de iis, qvi Chriſtum profitentur, & ſcript. Novi Teſtam. agnoſcunt; id mihi, probari non poteſt, & videtur nimium propendere ad laxam illam Socinianorum & qvorundam Arminianorum συγκατάβασιν, qvâ Eccleſiæ domus aperitur omnibus ſectis, qvæ utcumqve Chriſtum profitentur. Pag. 70. Qvæ dicuntur theſi 57. & ſeqq. non ſine aliqvo periculo mihi videntur affirmari, ubi agitur de non damnandis erroneis propoſitionibus, e. g.* qvod ſit ignis purgator: poſt hanc vitam. Qvòd electio ſit ex fide prævisâ, &c. *ſub eo prætextu, qvòd* non ſit ſufficiens cauſſa judicandi. *Qvod ſi verum ſit, multiplicabuntur in infinitum tales erroneæ propoſitiones contra qvas tamen nihil erit abſolutè pronunciandum, ne impingamus in admonitionem Apoſt. Rom.* XIV. 4. *Pag. 72. Interpretatio loci Eccleſiaſtæ* V. I. *non mihi videtur ad eam rem facere, id eſt, ad examinationem doctrinarum. Et tamen, ſi eò poſſet trahi, non minus periculum eſſet, ne qvis ſub modeſtiæ & nimiæ confidentiæ metus prætextu, tandem eò deveniat, ut ἀκαταληψίαν in pleriſqve profiteatur.* Pag. 523. *Vellem doctiſſ. virum*

per-

perpendiſſe Vincentii illius Lirinenſis ſcopum, nec ejus regulas pro indubitatis agnoviſſe. Vincentius ille fuit Semipelagianus Maſſilienſis, qvi cùm non auderet apertè in Auguſtinum ſtylum ſtringere, mirô artificiô ea poſuit fundamenta, qvibus ejus adverſus Semipelagianis doctrinam eluderet, iis etiam regulis propoſitis, qvibus vix aliqvid certi & indubitati ſtatui poſſit. De eo videatur noſtras D. Chamierus, Tom. I. lib. II. c IX per totum, ubi doctiſſimè oſtendit, bonum illum virum nobis potiùs crucem fixiſſe, quàm verum ullum canonem oſtendiſſe. Bartholomæus Petrus Lintrenſis edidit Duaci anno CIϽ IϽ CXI. Commonitorium Vincentii additis notis, præmiſſâqve Diſſertatione Apologeticâ de Vincentio ejuſqve ſcriptis. Poſtea Georgius Calixtus idem Commonitorium bis, primò ann. CIϽ IϽ CXXIX. deinde CIϽ IϽ CLV. recenſuit & edidit; multum ei tribuens, fulcit illô qvòqve ſuam hypotheſin: conſenſum ſive traditionem Eccleſiæ; aut Patrum antiqviorum, haberi debere pro fidei Chriſtianæ principio; qvam pluribus hac in parte cum Riveto facientes refellunt ſummi viri Hülſemannus & Calovius. Ego nullus dubito, Bergium id â Calixto didiciſſe, qvæ obiter & παρέργως. Conf. ipſum Rivetum IV. Critici ſacri, c XXIV. p. 467. Item qvæ latè diximus in parte I. noſtrarum Animadverſionum c. VII. §. I. p. 107. ſ. Tantùm addo hîc, Melchiorem Canum Fortunatarum Inſularum Epiſcopum tam magni hujus Vincentii libellum facere, ut ipſum *verè aureum* adpellet in VII. Locor. Comm. c. III. p. m. 258. edit. opt Salmanticenſ. M. D. LXIII. At cùm unanimem noſtro è Vincentio conſenſum Hartus urſiſſet: reſpondet Rainoldus c. V. Collationis cum Harto diviſ. I. *Vincentium in eo ſupra petram ædificâſ-*

ficâſſe, qvòd Scripturam ſolam ad Controverſias dirimendas adhibuiſſet: in hoc verò qvòd unanimem conſenſum reqviſiviſſet, ſuper arenam humanarum opinionum. Atqve huic Vincentio non præter rem opponit Auguſtinum, qvi & Scripturam ſolam pro fundamento ponit, & Scripturæ interpretationem ex ipſa Scriptura ſola ſumendam dicit, non ex incertis hominum ſenſibus. Prodiit Vincentii editio cum notis V. C. Stephani Baluzii qvoqve Cantabrigiæ CIↃDC LXXXVI. in 12. & ſine notis anteà Oxoniæ, 1681. in 12.

§. II. *Sed miror*, pergit Rivetus, *cur p. 524. tanti faciat vir doctus judicium Acontii, hominis ambiguæ fidei & Socinianorum vel prodromi, vel commilitonis, cujus rei gratiâ ab Arminianis toties recuſus eſt & commendatus, etiam in varias lingvas vulgares tranſlatus. Huic homini ſcopus fuit, ut ex toto libro apparet, ad tam pauca neceſſaria doctrinam Chriſtianam arctare, ut omnibus ſectis in Chriſtianiſmo pateret aditus ad mutuam communionem. Vellem doctiſſ. & pium virum à talibus laudandis & imitandis abſtinuiſſe.* Sanè Jacobus Acontius ſecundum Remonſtrantes in Examine Cenſuræ præfationis, p. 11. a. eſt *vir æternâ memoriâ dignus, quô Satanas iſtô tempore majorem hoſtem vix habuit*; lib. III. Stratagemat. p. m. 125. edit. Baſil. CIↃ IↃ LXV. cenſuit, neceſſaria creditu pauca eſſe. At Iſaacô Juniô Eccleſiaſte Delphenſ. in p. 45. Examinis Apologiæ Remonſtrantium auctore, Acontius *homo fuit ejuſdem farinæ cum Remonſtrantibus & Socino, totus in hoc; ut omnes ſectas ad unam univerſalem revocaret, in qva, ut in arca Noæ omnium ſpecierum animalia includerentur, & qvamvis diverſô utentia pabulô, conſervarentur.* Addo & judicium de eo Johan-

hannis Peltii, cujus in dedicatione Harmoniæ hæc ſunt: *Novit procul dubio veneranda iſta antiqvitas, plura eſſe ſcitu neceſſaria ad ſalutem, qvàm fidem ſeu obedientiam mandatorum Chriſti(ut Acontius clandeſtinus Socinianorum aſſecla ſentiebat olim,) ac proinde plura & alia fundamentalia poſuêre priſci illi, iſtud vi experientiæ & veritatis edocti, ſi Religio in tàm paucis conſiſteret, & inſuper libertas prophetandi, & in omnibus pro & contra diſputandi, ab aliiſqve diſſentiendi facultas permitteretur, hoc fore libertate Chriſtianâ abuti, ad cerebri ſui figmenta, novô doctrinæ genere orbi proponenda, etiam in maximis & ſanctiſſimis divinitatis myſteriis, qvod qvidem impudentiæ eſſet effrenatæ, & arrogantiæ intolerabilis, imo Satanam ex Orco revocare, patrem mendacii, autorem hæreſium & rixarum, atqve eô modô latam feneſtram aperire, ad qvaſlibet hæreſes in Eccleſiam introducendi, palamqve eas ſine contradictione profitendi, nihilqve tandem fore fundamentale, præter iſtud ex mente Acontii & Socinianorum poſitum ante, in qvo uno ſi conſentiat diverſa ſentientium turba, de reliqvo non eſſe, nec fore, qvod anxiè ſoliciti ſimus.* Hæc Peltius. Jacobo Arminio tamen in Reſponſ. ad Excerpta Theol. Leidenſ. p. 65. Acontius eſt *divinum prudentiæ ac moderationis lumen.* Ameſio præfat. ad Puritan. Anglicanos & Grevinchovio in Abſterſione calumn. Smoutii p.125. apud B. Hulſemannum in Dedicat. Supplementi Breviarii Theologici p. 6. idem Acontius eſt δυνατώτατος ἐν ταῖς γραφαῖς, *qvi ſementem Eccleſiæ Anglicanæ calore & rore cœleſti fovit ſedulo.* Cum Remonſtrantibus hic facit & Georgius Pauli Reformatus Dantiſcanus, cui in Reformato Auguſtano, ſeu Apologia pro dictatis ſuis Scholaſticis

de

de Aug. Conf. *Jacob. Acontius Tridentinus* audit *rariſſimus Theologus, JCtus & Philoſophus, olim propter veritatis Euangelicæ profeſſionem in Anglia exul*, ubi *aureum ſcripſerit, & Eliſabethæ Angliæ Reginæ gratitudinis cauſâ dedicaverit opuſculum, cujus titulus, ſtratagemata Satanæ.* Conrado Bergio Diſſertat. V. Praxis Catholicæ, §. IX. p. 524. (hunc enim locum Rivetus adduxit.) *prudenter ac piè diſſerit Acontius.* Imò ille ipſe Acontii liber Baſiliæ excuſus eſt annô CIↃ IↃ CX. cum præfatione Joan. Jacobi Graſſeri Baſileenſis, in qva illud Acontii opus duas per paginas ut planè divinum commendantur, & eo uſqve evehitur, ut altiùs non poſſit. Qvæ Gisb. Voetius part.I. Selectar. Diſpp. n. XXIX. p. 495. hoc de auctore adfert, non magnæ rei ſunt, editionem verò, qvam ibidem adducit Baſileæ annô 1616. apud Waldkirchium impreſſam, â me viſam non recordor, fortè erit *σφάλμα* in numero, & pro 1610. 1616. erit poſitum. Adde celeberr. D. noſtrum Dorſcheum Diſp. III. in Articulos abuſuum th. VI. p. 80. ſ. B. Dn. D. Jo. Meiſner. Sect. II. Irenici Duræani, §. LVI. p. 110. 111. Ego utor editione, qvam ſuperiùs adduxi, Baſileenſi apud *Petrum Pernam* impreſſâ, annô 1565. utpote in qva index longè plenior eſt, Graſſerianô illô editioni de anno 1610. additô. Uſus eſt & meô exemplari olim eximius ille Theologus Paullus Tarnovius, ob cujus caram manum & notas oræ libri adſcriptas mihi auro contra carus ille codex non eſt. Ceterùm etſi prima editio minus correcta, nec, ut decebat diſtincta, qvod in Dedicatione alterius memoratur, prodiit; notulæque, aliàs non incommodè memoriæ ancillantes, marginibus ſecundæ ſint additæ; certum tamen eſt eas eſſe ineptiſſimas & â tali pro-

profectas homine, auctorem qvi non intellexerit. Exemplo ſit p. 47. cui imperitè, contraqve mentem auctoris, planéqve ἀπροσδιονύσως notam actjunctam eſſe facilè odorabitur, qvi non ſit naris obeſæ. Sed nec reliqvæ melioris ſunt pretii. Scio & Londini hoc opus Acontii prodiiſſe. Ejuſdem Acontii Methodus, ſive recta inveſtigandarum tradendarumqve artium ac ſcientiarum ratio, inſerta legitur Voſſii & aliorum diſſertationibus de ſtudiis benè inſtituendis, p. 325. ſ. Trajecti ad Rhenum annô 1658. editis.

§. III. Sed ad Riveti MSum revertor. *Pag. 643.* ſcribit Rivetus, *citatur locus ex Melch. Cani Locis Theologocis l. VII. c. I. in qvo vir doctiſſ. ea attribuit Cano, contra qvæ manifeſtiſſimè diſputat, & qvæ refellit. Itaqve objectionem ſumpſit pro adfirmatione. Nam Canus fuit in ea ſententia, virginem Mariam in peccato originali fuiſſe conceptam. De ſuo ſenſu loqvitur c. III. num 9. Pag. 649. citatur Ignatii Epiſt. ad Tarſenſes, in qva dicitur*, nullam aliam perſonam præter Patrem, eſſe DEUM ſuper omnia. *Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam, oſtenderunt multi, inter qvos Vedelius, & ego in ſacro Critico,* Adde Iſaacum Voſſium qvi hanc ad Tarſenſes Ignatii epiſtolam p. m. 73. Edit. ſecundæ Londin. M. DC. LXXX. inter perperàm Ignatio attributas recenſet. Bis autem â Cl. viro Ignatii editæ ſunt epiſtolæ, ſecundâ vice, uti dictum Londini, primâ verò annô hujus ſeculi XLVI. Amſtelodami; annôqve ſeqvente â Jacobo Uſſerio Archiepiſcopo Armachano, cum veteri tranſlatione, Londini, ope Medicæi Codicis, & verſionis antiqvæ, multò puriores incorruptioreſqve, qvàm antè, & expunctis variis gloſſematis ac interpolationibus, qvibus priores editiones & vulgati codices

paſſim fœdè inqvinati ſunt. Primùm Undecim Argentorati annô cIↃIↃ II. editæ ſunt epiſtolæ, deinde verò XV. partim à Vedelio, partim à Voſſio. Ex hiſce octo qvidam rejiciunt; tamqvam ſpurias epiſtolas; alii non tantùm octo, ſed novem, ut Uſſerius. Reliqvæ ſex, ſi non ſuppoſititiæ, certè adulteratæ ſunt. Qvindecim & extant in Bibliotheca Patrum, edit. I. Pariſ. & III. Colonienſ. Tom. I. Ceterùm an genuinæ ſint Ignatii epiſtolæ? qvod adfirmant ac tuentur editor in præfatione, & paſſim in notis ad eas conſcriptis; Jo. Dartes, librô I. de Ordinib. Eccleſiaſticis, c. XVIII. Dionyſius Petavius, tomô IV. de dogmatibus Eccleſiaſticis, parte II. in adpendice; ac communiter Pontificii; qvi id non modò oſtendunt crebris ſuis, qvas hinc promiſcuè petunt, citationibus ac argumentis, Bellarminus, Cotton, Coccius, Caniſius, qvos vide apud Thomam Jameſium de corrupt. Patrum; Rob. Cocum Anglum in Cenſura pag. 109. ſ. Magnum Joh. Gerhardum lib. I. Confeſſ. Cathol. part. II. cap. XIII. pag. 222. a. b. edit. noviſſ. Francofurt. M. DC. LXXIX., in fol. vel p. 625. a. b. edit. Jenenſ. M. DC. XXXIV. ſed & Cæſar Cardinalis Baronius Tom. I. Annal. ad ann. Chr. XLIV. n. LXXVII. p. m. 378. v. 49. edit. Antverpienſ. Plantinianæ M. D. LXXXIX. *Ignatii epiſtolas*, inqvit, *nullô prorſus diſſentiente, Catholica ſemper ſuſcepit eccleſia.* Et Margarinus de la Bigne, *ea omnium hæreticorum profligatiſſimos ac perditiſſimos meritò eſſe*, cum Fevardentio ſuo ſcilicet, dicit, *qvi eſſe Ignatii, ac non plurimum illis eſſe tribuendum dubitant.* E Reformatis Jac. Uſſerius in epiſtola adpendici Ignatianæ præfixa; Andr. Rivetus l. II. Critici Sacri c. I. & II. Henric. Hammondus diſſertat. II, adverſus Blondellum à c. I, ad XXV. uſqve. E Lu-

theranis ſummus Calovius, b. r. in Confeſſione Martyrum de S. S. Trinitate c. I. Sect. III. §. V. p. 12. ſ. An confictæ omninò & ſuppoſititiæ? uti contendunt Walo Meſſalinus, Diſſert. de Epiſcopis & Presb. c. IV. & qvi idem Claud. Salmaſius in Adparatu p. 56. ſ. Dav. Blondellus præfatione Apologiæ pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris p. 40. ſ. & in Epiſtola ad Uſſerium, apud Hammondum, diſſert. II. c. IX. Edmundus Albertinus, lib. II. de Euchariſtia p. 283. Joſua Arndius in Lexico Antiqvitatum Eccleſiaſticar. p. 869. J. Dallæus, lib. IV. de Jejunio & Qvadrageſima, c. V. multoqve prolixiùs l. II. de ſcriptis Dionyſii & Ignatii, à c. IV. ad XXXIX. uſqve, ubi ſex & ſexaginta argumentis id oſtendere conatur, ac demum præcipiti ſeculò tertiò, aut initiô qvarti confictas putat: nunc nihil attinet dicere: exponemus de eo fortaſſis alibi. Confer incomparabilem Martinum Chemnitium in oratione de Lectione Patrum, Locorum ejus Theologicor. editioni optimæ Francofurtanæ M. DC. LIII. præmiſſa p. m. 2. a. b. & in Examine Conc. Trid. parte 1. de Tradit. extr. p. m. 86. a Franc. ed. M. DC. IX. Jo. Gerhard. Patrolog. p. 50. ſ. Abrah. Scultetum in Medulla Theologiæ Patrum. Bellarminum de Scriptorib. Eccleſiaſt. p. 32. edit. optimæ Colonienſ. M. DC. LXXXIV. J. Hoornbeeckium in Miſcellan. l. 1. c. I. Sect. III. §. 1. p. 64. ſ. Dn. D. Chriſtian. Kortholt, Diſqviſitione Anti-Baroniana IV. §. 4. p. 103.

§. IV. *Pag. 701. Miror virum doctum*, i. e. Bergium, verba ſunt Riveti in MSo. *in eo adlaborare, ut Sozinum trahat ad ὀρθοδοξ(ίαν) in dogmatibus de peccato originali, & juſtificatione per imputationem juſtitiæ Chriſti, qvod nullis fidibus fieri poſſe, judicabunt, qvi ſcripta Socini de utroqve dogmate legerunt ex adverſo*

 pugnan-

pugnantia contra doctrinam Orthodoxorum. Ego lectorem vel ad ſolum ſummum Abraham : Calovium remitto, qvippe qvi in Sociniſmo profligato, Socinianos tam dextrè, candidè & ſolidè accuratéqve refellit, ut aliis hoc in genere facile carere poſſimus ſcriptoribus. *Pag.* 718. (Bergii praxeos Catholicæ) *duriſſimum eſt, ait* Rivetus, *& penè intolerabile, qvod Chriſto tribuit* ſpiritualium tenebrarum gradum profundiſſimum. *Pag.* 1135. *Nollem probatum fuiſſe â viro docto fictitium illum Junium Brutum Polonum pro religionis libertate, qui merus fuit Socinianus, & cauſſam ſuam agebat. Pag.* 1151. *Non inficias eo, prudentiâ opus eſſe & charitate in hæreticorum punitione, & â ſangvine abſtinendum, qvantum fieri poterit. Sed exilia & ſimiles adflictiones æqvari morti non probo, etiamſi id Optatus millies dixiſſet. Imò neceſſarium eſſe, ſæpe tales arceri non ſolùm ab Eccleſia, ſed etiam ab ea Republ. qvam inficiunt. Pag.* 1237. poſuerat Bergius: *An qvilibet in ſua fide (vel potiùs confeſſione, ſeu religione, & Eccleſia) ſalvari poſſit? puta* Pontificii *in Pontificia,* Lutherani *in Lutherana*, Calviniſtæ, *ut vocant, in Calviniſtica? His ferè verbis proponit qvæſtionem* BECANUS in Manuali l. V. c. I. *eandemqve, aliis verbis propoſitam, tractat* GREG. DE VALENTIA in II. IIæ. Diſp. I. Q II. puncto *6. â Bellarmino*, nuſquam, qvod ego ſciam, ex profeſſo ventilatam: Reſpondet Rivetus: *Imò eam ex profeſſo ventilavit ſpeciali libellô. Leonardus Leſſius Jeſuita.* Hactenus manus Riveti. At Bergius dixerat de Bellarmino; alii auctores ipſum adeò non fugerunt, ut eos potiùs adduxerit. Tu vide de iſta qvæſtione B. Meiſnerum non ſolùm in antileſſio Witteb. edito anno CIↃ IↃC XII. in 8t. & Apologia ejuſdem Herman-

manno Hugoni oppoſita & in xix. Diſputationes diſtributa Witteberg. M. DC. XXIII. in 8t. ſed & in Diſputatione VI. de Religionis veræ oppoſitis, ut Puccianiſmo, Machiavelliſmo & Samaritaniſmo, theorem. III IV. V. Georg. Dedekennum Volum. I. Theſauri Conſilior & Deciſionum, l. II Membr. I. ſect. I. Q. II. p.m. 1089. ed. optimæ Jenenſ. 1671. Leſſii Conſultationem habeo ex officina Antv. Plantiniana ann. cIↃ IↃc x. quòd ideò addo, qvia & annô cIↃ IↃc IX. non tamen æqve benè edita eſt. Scripſit & ad Leſſium ut examinator & reſponſor Henricus Brandius Willemſonius verbi divini adminiſter in Eccleſia Zirizæana, Lugdun. Batav. cIↃ IↃc XII. ſed non comparandus ad Meiſnerum, cujus & legenda diſputatio V. Scholæ Academicæ p. 437. ſ. edit. Francof. 1625. Qvæ hic ἐξ ἀφορμῆς. Ceterùm exſtat Reſponſio hunc ad Bergii librum in judicio Valeriani Magni p. 292. ſ.

§. V. Eſt & alius Bergius, cui prænomen eſt Johanni, hujus Conradi frater, qvi editô *de Voluntate DEI* librô è 1 Tim. II. 4. univerſalem qvidem gratiam ſpeciali erga electos contradiſtinctam, cum Amyraldo contra Supralapſarios ſeu Gomariſtas & Sublapſarios ſeu Dordracenos ſtatuit: ſed eandem cum illo ad paganos, qvibus nunqvam, euangelium innnotuit, non extendit, ſed ad ſolos eos reſtringit, qvibus verbum gratiæ coram annunciatur, ſub hac tamen conditione, SI non reluctentur: qvum tamen illis, qvi inter vocatos non ſunt electi, ſpecialem gratiam, per qvam ſolam qveant credere & regenerari, neget ſimpliciter. Qvam ob cauſſam & ipſe inter Hyhotheticos, qvamqvam in peculiari factione, ut qvi Amyraldiſtis contradicit, referri poteſt. Horum Bergiorum Pater D. Conradus Bergius Stetinenſis Eccleſiæ in Pomerania Paſtor

fuit: Eum verò, Johannem volo, Sereniſſ. apud Electorem Brandenb. Concionatorem olim Coloniæ ad Spream egiſſe aulicum, neminem fugere poteſt, qvi Conciones ejus Germanicas in publicum extruſas cum ſcriptis ejus legit Henoticis ab Hulſemanno, Calovio, Micrælio & Pomario examinatis; ipſiqve illi Conrado Bergio Diſſert. VI. §. 143. p. 311, §. 203. p. 903. dictæ Praxeos Catholicæ laudatus. Sanè tantum potuit â facundia & Eccleſiaſtica Oratoria, ut hujus non imprudens Auctor perſonatus, ſub nomine Theodori Gailfinckii, in elegantiſſimo de Poſtillis Germanicè tractatu ſcripto ſummis Bergium hunc extulerit laudibus, & tantum non ceteris, qvos qvidem audiverit & noverit omnibus prætulerit. Inveni hujus aliqvam MSSam in ſchedis meis Epiſtolam, Hübnero ſcriptam, qvam ne periret, dare hîc eam volui. ,, S. P. Qvas 16. Jan. Kilmorii dederas, Vir Reverende, doctiſſime, Amice ,, & in Chriſto Frater dilectiſſime, Maji demum die ,, 24. mihi ſunt redditæ. Meas, qvas exeunte annô ,, ſuperiore dederam, Tibi qvoqve interea traditas confido. In iis, qvid de reditu ſvadeam, expoſui plenius. Et conſilio meo ſuffragabitur, ut opinor, affectus tuus in Matrem, non tuam tantùm domeſticam, ,, qvæ geminatis ex trium liberorum & Fratris obitu luctibus, unicum in aſpectu tuo ſperat qværitqve ſolatium: ſed & communem noſtram, eamqve tergeminam, Eccleſiam dico, Academiam, Patriam. Et ,, Academia qvidem Profesſionem, Eccleſia etiam Miniſterium ſanctisſimum, utrâqve manu offeret: nec ,, Patria, aut Patriæ Proceres, eô dudum nomine â me ,, compellari, abnuent, modò almam nobis Pacem annuat Pacis largitor Deus. Ea una ni remoretur, nihil ,, eſt, qvin ſecurè ſcribam: Redi. Sed nunc qvidem

in

in acie, qvod ajunt, novaculæ Germaniæ totius, ex qva noſtra pendet, pax ſaluſqve verſatur. Qvatuor aut qvinqve Exercitibus utrinqve res geritur: In Bavaria, in Palatinatu, in Bohemia, in inferiori Saxonia. Sed Bavariam qvidem impunè vaſtat Svecus, Auguſtam, Ulmam, Monachium reliqva omnia oppida in poteſtate habet. Bavarus vix Ingolſtadii & Ratisbonæ victi Exercitûs reliqvias retinet. Palatinatu qvoqve Exercitus Hiſpanicus, inferiori Saxoniâ Pappenhemius jam exactus nunciatur. Solus in Bohemia malè, ut ſolet, rem gerit Saxo. Pragâ nuper â Wallenſtenio recuperatâ, & duabus Saxonis legionibus illîc captis. Noſter qvoqve miles Duce Burgsdorfio, at qvàm rei militaris, ſi poculis agendum ſit, perito! in Sileſiam aliqvo uſqve progreſſus, turpiter Croſnam, jamqve Francofurtum, hoſte vix viſô, regreſſus eſt Nec nullum jam nobis ex Sileſia, novô iſthîc â Cæſarianis coactô milite, periculum imminet. Noſter interim Elector, Rege Poloniæ nuper defunctô, in Boruſſiam, atque inde fortè Varſaviam ad novi Regis Electionem, proficiſcitur, iter proximô hôc qvatriduô ingreſſurus. Interim miſerrima Marchia hoſti fortè in prædam iterum relinqvitur. Vides qvæ reditum diſſvadere poſſint. Sed Regem cum Victoris Exercitûs parte maximâ in Bohemiam ire, ſuppetias Saxoni laturum nunciatur. Ei ſi ad priores hujus & ſuperioris anni victorias unam adjecerit Dominus Exercituum, tutiora hîc qvoqve & pacatiora fore ſperamus omnia, ut iterum Tibi ſcribere liceat, Redi! Atqve ut maximè ipſe domô abſim, tamen in Boruſſia rectiùs fortè, qvàm hîc ſi ſim, tua apud Principem commoda promovere potero, vel in impetrando ſtipendio Academico, donec ipſa

„ ſolvendo fuerit Academia, vel in Miniſterio ſive Sten-
„ dalienſis ſive alterius in Marchiâ Eccleſię Tibi decer-
„ nendo. Id tamen non diſſvadeo, ab Hybernis tuis
„ ita diſcedas, ut reditum, niſi qvę Vis divinior in
„ Patriâ te retineat, illis pollicearis. Reverendiſſimo
„ Domino Primati ſalutem â me obſervantiſſimam ut
„ renuncies rogo, qvem Virum omnium hodie Scri-
„ ptorum, qvos qvidem legerim, unicum unicè vene-
„ ror: Et qvandoqvidem ad literarium cum ipſo com-
„ mercium tàm inſigni Humanitatis præconiô invitas,
„ audebo id in Boruſſiâ inſtituere. Nam nunc qvidem
„ itineris curis aliiſque occupationibus prohibeor. Vale
„ feliciſſimè, & ſi potes, Veni. Dab. Berlini d. 7. Jun.
„ Anno 32. Tui amantiſſ. Johan. Bergius. *Inſcript*:
„ Reverendo & Doctiſſimo Viro, Domino Johanni
„ Chriſtophoro Hübnero, apud Reverendiſſ. Hyberniæ
„ Primatem jam degenti. Dublin.

§. VI. Mirè dictum hunc Jo. Bergium in comparatione laudant cum ejus ſucceſſore in officio Bartholomæo Stoſchio Sileſio (cui, ſi in Apologia p. 4. Andreæ Frommio Theologiæ Licentiato, principiò Paſtori & Præpoſito Colonienſi ad Spream, poſteà ab officio remoto, quô jure qváve injuriâ non diſputo; & tandem Apoſtatæ, Canonico Leutmerizenſi in Bohemia accredimus, *malignum* tribuit *ingenium* ille ipſe Bergius) ſinceri, uti ſe vocant, Marchici Brandenburgenſes Lutherani Confeſſores, in libro, cui titulus, Vox Oppreſſorum in Marchia Brandenburgica ſupplex, ê cujus p. 46. edit: alterius correctioris Saltzbachenſis M. DC. LXXV. in 4. hæc adpono ê Germanico utcumqve Latinè â nobis reddita verba: *Hanc ſanè gloriam poſt mortem habere debemus Dn. D. Johanni Bergio, qvòd is ſummus Concionator Aulicus,*

licus, Clementiſſime Pater Patriæ (eſt enim libellus ſupplex ad Illuſtriſſimum Brandenb. Electorem ſcriptus) *noſtram Religionem , aut ejus confeſſores , non adeò acerbè oderit vel noſtrorum promotiones minuerit, ſed potiùs amicè noſtris cum Theologis vixerit , & pacificè in Conſiſtorio converſatus cum illis fuerit. Et cùm ipſi Extrarius qviſpiam objeciſſet , ſeqvi , qvòd Patrem Patriæ accenderet in nos atqve incitaret, reſpondit* in parte ſecunda Tractatus *qvod verba* &c. p. 246. *non ſine ira: calumniam eſſe id, precariqve ſe DEUM, tale qvid ut à ſe averiat. inde & provocat ad Lutheranorum teſtimonium Miniſtrorum verbi innocentiam ſuam vindicaturorum. Cujus qvod per ſuam reus non fuerit vitam, ſanctè à morte ejus teſtamur.* Succeſſit, qvod jam dixi in officio Stoſchius Bergio; cujus ad illum ipſum Hübnerum, ad qvem & Bergius ſcripſit, ex occaſione hic edo epiſtolam, qvam, etſi multis non adeò magnæ rei videbitur, negligere tamen nolui, uni vel alteri fortè non inutilem futuram olim. *Salutem & Obſervantiam. Humaniſſime atqve Eruditiſſime Dne Hübnere: Amice ac Fautor pl. honorande! Non, non oblitus ſum promiſſi mei: non fidei datæ immemor: qvâ aſſiduas Tibi promittebam literas. Summæ occupationes, qvæ me non onerant; ſed obruunt ferè; eæ ſunt, qvæ adfectum meum, dudum ad Vos ſcripturientem cohibuerunt; ac invitum ab officio, qvod Tibi debeo, retraxerunt. Omninò autem fiduciâ Tui (lege Tuæ) in me benevolentiæ, veniam neglecti officii, qvam aliàs multis exorarem, à Te mihi ſpondet: præſertim, cùm Te ipſum collecturum confidam: qvanta me negotia, dum hoc hyemis abfuerim, heic manſerint. Nunc, ubi tantillum otii contigit: non potui: qvin nutu ſaltem aliqvô,*

(alloqviô enim plenô ne nunc licet) fidei ſemel datæ memoriam Tibi teſtatam facerem: & ſimul paginas aliqvot, qvæ Tabulæ Loc. Com. lucem qvandam allucere queant, præmitterem: brevi, qvæ reſtant, porrò miſſurus. Ita aliqvam partem ſaltem fidei meæ liberaturus mihi videor: & hoc ipſo, Tuam qvoqve fidem viciſſim, jure qvodam meo, conteſtaturus. Nam & ipſe, paria Te in hoc literarum ſcribendarum officio, facturum memini, qvando receperis ac fueris pollicitus. Vide Humaniſſime Dn. qvorſum audaciæ prolabar; ſpe tractus de amore tuo, ac fiduciâ pleniſſima: qvam, patere qvæſo, parem in Te, de amore ac cultu meo fiduciam excitare viciſſim: & tandem literis creberrimis teſtare. Valeqve â Tui obſervantiſſimo Bartholomæo Stoſchio. Francof. 12. Jun. 1628. Salute officioſiſſimâ impertio D. Schindlerum. Inſcr. *Humaniſſimo ac Eruditiſſimo D. Johanni Chriſtophoro Hübnero. S. S. Th. Candidato. Dno, Amico ſuo ac Fautori pl. honorando. Berlinum.*

§. VII. Altiorem indaginem attentionemqve majorem reqvirunt litteræ minimè ſpernendæ, neſcio tamen ad qvem ſcriptæ, magni illius, at ſine populi ſuffragio (qvod Hulſemannus in p. 1424. Vermis Calixtinæ conſcientiæ probat) ulloqve ſucceſſu pacificatoris Scoto-Britanni Jo. Duræi, qvas hîc ex αὐτογράφῳ ejus ſubnectere operæ viſum fuit omnino pretium. „Gratiam & pacem â DEO Patre, & â D° noſtro Jeſu Chriſto, Amen. Reverende & dilectiſſime „in Chriſto frater. Conſtitueram videre faciem tuam, „ſed DEUS id jam fieri non permittit; cauſſas videbis in adpoſita epiſtolæ copia, qvæ harum eccleſiarum claſſibus inſcripta eſt. Spero tamen poſthac id aliquando eventurum. Nunc aliud non reſtat, niſi ut

hâc

,, hâc ratione tecum agatur; Vides itaqve mearum
,, (†) cum Lutheranis deliberationum capita, de qvi-
bus

(†) *Mearum cum Lutheranis deliberationum*] Per annos hic Duræus XL & qvod excurrit, *ſolicitatorem & ἐργοδιώκτην conſiliorum Concordiæ Chriſtianæ procurandorum agere ſe* profeſſus, totam fermè Europam, qvàm latè patet, terrâ mariqve peragravit, ut animos hominum ſenſuſqve exploraret, & conſilia virorum prudentum ac moderatorum inter Proteſtantes, qvæ ad Concordiam reſtaurandam pertinere judicarent, exqvireret. Eqvidem nullis ille laboribus hactenus, nullis curis ac vigiliis, nulliſqve ſumptibus, qvamvis ſupra facultates eſſent, pepercit, & id dedit operam ſedulò, ut unum proſelytum efficeret, &, qvam ipſe mente concepit, Concordiam aliis qvoqve perſvaderet. Qvi etiam multos applauſores, non infimæ ſortis, & qvidem non falsò fortè dilaudat. Non pauci certè indefeſſum ejus, qvod in pacificanda Eccleſia impendit, ſtudium mirantur, & non tantùm ſummis in cœlum laudibus evehunt, ſed etiam ſucceſſus tantis ſudoribus laboribuſqve exantlatis condignos exoptant. Qvamqvam præter ſtudium & voluntatem nil afferat, nec qvicqvam efficiat, qvod aut promiſſis ipſius, aut eruditorum expectationi reſpondeat. Indè & fortè eſt, qvod Hugo Grotius in p. 21. Diſcuſſionis Rivetiani Apologetici Irenopoli CIƆIƆCXLV. in 8. editæ ſcribit: *Neqve verò negabit Jo. Duræus, ei concordiæ, qvam ipſe inter duûm generum Proteſtantes ſtruebat, nullos eſſe repertos, qvi magis adverſarentur, qvàm qvi Lugduni Batavorum erant Profeſſores: nimirum qvòd viderent, talem Concordiam cum Synodi Dordrechtanæ pla-*

placitis ſtare non poſſe. Vide Conſultationum Irenicarum περὶ διορθώσεων: ſive Acta Tractatuum de Mediis Concordiæ Euangelicæ procurandis inter S. Theolog. Profeſſores Argentinenſes duos Dn. D. Joh. Conr. Dannhawerum & Dn. D. Balthaſarem Bebelium ab una parte, & Johann. Duræum ab altera. Amſterod. 1664. in 8t. Item B. Joh. Micrælium SS. Theol. Doctorem & in regio Stetinenſ. Gymnaſio qvondam Rectorem & Profeſſorem librô I. de Prædeſtinatione c. I. Præliminari §. VII. p. m. 5, 6. Edit. Stetinenſ M. DC. LXV in 12. Imprimis autem Irenicum Duræanum de Articulis Fidei Fundamentalibus, & Conſenſu ac Diſſenſu inter Lutheranos ac Reformatos, in Academia Wittebergenſi explicatum à Joh. Meiſnero D. & Prof. Public. Witteberg. CIƆ IƆ C LXXV. in 4to. Adde & Epiſtolicam Diſſertationem, qvam Jo. Duræus Euangelicæ Concordiæ procurandæ ergodioctes miſit auctoribus Calviniſmi (ut vocatur) Irreconciliabilis, Dn. D. Johanni Hulſemanno Theol. D. & P. P. in Academ. Wittebergenſi: nec non Dn. Petro Rhehebindero, Theol. Licent. & Superintendenti Luneburgenſi, ut illos de reatu Schiſmatis continuandi inter Proteſtantes evitando fraternè moneret; unà cum ad Duræi epiſtolam Reſponſione D. Joh. Hulſemanni; adnexis dicti Theologi Celeberrimi Hulſemanni Calviniſmo Irreconciliabili tertiâ vice Wittebergæ edito, annô 1667. in 8t. In Compend. Hiſtor. Univerſal. p. 766. hæc habet Joh. Lætus: *Socios Auguſtanæ Confeſſionis Reformatis, tametſi piè, atqve eventu optando, tamen in caſſum meô judiciô conciliare â retro multis actis annis ſtudet Johannes Duræus Scotus, Theologus ut pacis Eccleſiaſticæ flagrantiſſimus, ita doctiſſimus.* Theologi Dani ad Sereniſſ. Regem ſcribunt:

bus aveo tuum intelligere judicium, & ſi Londinum
,, verſus ad me ſcribere volueris, inſcriptas mihi litte-
,, ras dirige ad Dominum Samuelem Hartlibium cum
,, hoc Anglico additamento, *dwelling in duces plàte*
,, *weere Algate.* Nihil amplius addo de rebus meis, niſi
,, qvòd ad aliqvam in ſpiritu pacem ſolito magis evi-
,, dentem atqve conſtantiorem, ſub ſpe profectus atqve
,, incrementi gratiæ in Chriſto, donec attingam ad
,, menſuram ἡλικίας τοῦ πληρώματος, me paulatim de-
,, duci patiar. Pro qvo velim, ut mecum benigniſſimo
,, patri gratias agas, meqve precibus tuis porrò juves,
,, ut, qvod reſiduum eſt imperfectæ naturæ corruptæ-
,, qve indolis aboleatur penitus. Reſtat, ut tribus ver-
,, bis meam de tuis rebus ſollicitudinem tibi explicem.
,, Intellexi â (‡) D° Serrario, te jam in eo eſſe, ut mi-
,, niſtro-

bunt: *â Duræo nihil propoſitum qvod dudum non attulerint Junius, Grotius, Pierius, Bergius, & omnium ingenioſiſſimè & diductiſſimè in ſuo Irenico Pareus. Qvi, tantum abeſt; ut laborioſô conatu motas controverſias animorum irritamenta, aut ſuſtulerint aut ſopierint, ut oleum potiùs huic flammæ videatur adfuſum.*

(‡) *â D° Serario*] Hic Petrus Serarius, Euangelii, ut ſe vocat, in Eccleſia Univerſali miniſter, Amſterodami vixit, vehemens Chiliaſmi adſertor; ſcripſit Examen Synodorum ſeu Conventuum Eccleſiaſticorum ad Chriſti ejuſqve Apoſtolorum, nec non & Hieroſolymitanæ Synodi I. (Act. XV. deſcriptæ) exemplar, inſtitutum in gratiam eorum, qvi non malô animô, ſed per incogitantiam & Epidemicum ſui ævi contagium, hodiernis Synodis nimium tribuendo, & DEO, & Sibi-ipſis, & Proximo ſuo, ſe injurios exhi-

hibent, Amſterodami excuſum pro auctore annô 1668. in 4to. Item Brevem (uti inſcribitur, qvamvis ſatis prolixam) Diſſertationem Latinam de fatali & admirânda illa omnium Planetarum in uno eodemqve ſigno Sagittarii, igneæ triplicitatis ultimo, conjunctione, die 1. & 11. Decembr. annô 1662. Qvâ tam ex S. Literis, qvàm ex ipſius conjunctionis natura, aliiſqve rerum præcedentium & concomitantium circumſtantiis clarè evincitur, illuſtrem illum Jeſu Chriſti adventum imminere, qvô 1. Gentem Judæorum diſperſam erit recollecturus. 2 Hominem peccati, qvi hactenus tam in Eccleſia, qvàm in mundo principatum obtinuit, aboliturus, & 3. Regnum in terris glorioſum tandem erecturus. Hanc Diſſertationem Serarii examinavit peculiari Diſputatione de Conjunctione omnium Planetarum in Sagittario, qvæ eſt Chiliaſmi enervati prima, annô M. DC. LXIII. Gröningæ D. Samuel Mareſius, in cujus §. 16. p. m. 6. de Serario tale fert judicium; *Eſt certè vir ille, bonus, pius, ac benè doctus, noſtri Durai, Irenici, conſtans amicus, & qvondam, ni fallor, Collega Agrippinæ Ubiorum: Sed ἰδιογνώμων, ac creditus in Schwenckfeldianiſmum pronior; licet ſuis nuper ad me literis, cum qvibus hanc ſuam Diſſertationem mittebat, profiteretur, nullam partium inter Chriſtianos Doctrinam judicare convenientiorem Scripturis, qvàm Reformatam: Qvin optimam navavit haud ita pridem operam in refutando Belgicè libello Sociniani & impio, qvi inſcribitur* de Apoſtaſia Chriſtianorum; *ac longè meliorem meô judiciô (qvod citra illius offenſionem dictum eſto,* nam diſſentire bonos etiam de rebus iiſdem, Incolumi licuit ſemper amicitia;) *qvàm in propugnando Gallicè contra D.*

Amy-

*myraldum , regno Chriſti Millenario, qvod ille ad-
erſus D. Launæum , nunc ἐν ἁγίοις, amicorum ſuo-
um qvondam ἄλφα , plurimis oppugnaverat.* Sera-
us viſâ hâc Mareſii diſputatione *Reſponſionem* ei
ppoſuit *Apologeticam* ipſi illi Mareſio nominatim
nſcriptam , qvâ demonſtrare ſtudet , brevi Judæos
n Palæſtinam revocandos , Hominem peccati abo-
endum & Regnum Chriſti millenarium in terris eri-
gendum. Cui dictus Doctor Gröningenſis reſcripſit,
qvem vide in Chiliaſmo enervato p. 21. ſ. edit. Grö-
ningenſis annô 1664. in 4to. In Antirrhetica, ſive De-
fenſione pii zeli pro retinenda recepta in Eccleſiis refor-
matis doctrina, præſertim adverſus Chiliaſtas & Fa-
naticos; contra Joh. A. Comenii Fanatici Zelum ama-
rum ſcientiâ & conſcientiâ deſtitutum , edita Grö-
ningæ annô 1669. in 4to. c. V. §. 11. p. 59. ſic de
Serario adfirmat: *De Serario nihil dixi, qvod non ſit
in propatulo, nempe eum eſſe Swenckfeldianum & Fa-
naticum , ſeqve appellare Miniſtrum Euangelii in
Eccleſia univerſali , cùm tamen nullius Eccleſiæ par-
ticularis membrum ſit , & motus ſit Miniſteriô ab
annis 40. Qvibus etiam nunc litibus diſtineatur cum
puella illa fanatica Anthoinetta Bourignon , qvæ ſeſe*
Matrem *verè* credentium *vocat Amſterodami , &
qvam initio ſuſpiciebat ipſe ceu* vivum Euangelium ,
*ex hujus Virginis ſcripto contra illum publicè conſtat.
Nec peccavero ſi Serarium ſemi-Judæum dixero: ut-
pote qvi & Politiæ Judaicæ, & cultus Levitici , ab
ea inſeparabilis , reſtitutionem defendit, & qvi pu-
tat non aliam eſſe commodiorem rationem Judæos con-
vertendi, qvàm ſi ipſis concedamus , regnum Meſſiæ
reverà futurum fuiſſe terrenum & mundanum, & tale
adhuc expectari debere. O bardos Apoſtolos & priſcos*

Ec-

„ niſtrorum deſiderio ſatisfacias, qvi â te petierunt, ut
„ iis aperias, qvidnam in illorum eccleſiis deſideres.
„ Puto hoc eſſe â Domino, qvòd de re illa compella-
„ verint, non dubito igitur, qvin ipſius opem ſedulò im-
„ plores, ut poſſis DEI regnum in illorum animis pro-
„ movere. Spero etiam illum tuâ operâ in eo uti velle.
„ Gratulor itaqve tuo ſpiritui de oblata occaſione tàm
„ optata perhibendi teſtimonium veritati: & qvamvis
„ nihil præſcriptum tibi volo in opere, ad qvod â Do-
„ mino vocaris; permitte tamen, ut meo ſatisfaciam
„ erga te hac in parte ſtudio, qvò conſilium, qvod mihi
„ obverſatur, tuæ conſiderationi proponam. Noſti re-
„ prehenſiones errorum & vitii exprobrationem, facilè
„ mentes hominum nonnihil carni addictorum aliena-
„ re,

Eccleſiæ Doctores, qvi ſcandalum crucis hâc dexteritate apud Judæos neſciverunt extingvere, & imaginationi carnali Judæorum, nihil aliud oppoſuerunt qvàm regnum Meſſiæ fore ſpirituale, myſticum & cœleſte, nec cuiqvam ablaturum terreſtria, qvi regna dat cœleſtia! Annon ergò de talibus jure dixi, eos, indignos qvi à ge- nuinis Eccleſiarum Belgicarum Reformatarum filiis audiantur? *Tantô potiori jure, qvod moti Miniſteriô, propter ſuos errores & mores, ſegreges vivant, Schiſmatici ſint & Seductores, nec communicent cum Eccleſiis noſtris; imò doctrinam illis peregrinam, Chiliaſticam nempe, ſectentur & inculcent.* Hactenus Mareſius. *Si qvis*, inqvit Dn. Morhofius l. 1. Polyhiſtoris Literarii c. XVIII. p. 214. *Chimicorum, Theoſophicorum, Myſticorum, imo & Fanaticorum qvoqve ſcriptorum acervum velit, is inveniet in Catalogô librorum* Serarii & Bahnſii, *qvi prodiit Amſtelodami* 1670.

,, re, â veri rectiqve clara cognitione & dijudicatio-
,, ne in ſeipſis, putant enim ſe judicari & condemnari
,, ex præjudicio aliqvo & adfectu ſeqviore, ſi μετὰ παῤ-
,, ῥησίας aliqvis taxet eos, & ulcera ipſorum attre-
,, ctet. Vides jam, qvid velim; ut ſcilicet initio iis
,, parcas, donec certi ſint de tuo animo, & ferre poſſint
,, ſermonem juſtitiæ, ac cibum adultis afferendum. Si
,, igitur alterutrum horum fiat, ut vel tuam de veritate
,, ſalutari per DEI gratiam tibi patefacta ſententiam iis
,, proponas ita, ut intelligant, te pertinacem in ſenſu
,, tuo defendendo non eſſe, ſed docilem fore ſi te meliùs
,, erudire voluerint; vel de illorum (*) erroribus in do-
,, ctrina

(*) *De illorum erroribus qvaſi dubitanter loqva-ris*] Inluſtrant hæc provida Duræana non parum ſeqventia Dannhaweri ſalutaria, qvæ excerpo è Sect. V. Art. II. §. 6. p. 124. ſ. Myſterii Syncretiſmi detecti, proſcripti & Symphoniſmô compenſati; *Nihil efficias,* inqvit, *apud errantem ſolâ veritatis jactantiâ, ſi ſvada deſit. Ut enim veritas penes te jam ſit & in corde tuo confirmata, tibi ſatisfeciſti, non erranti, non pacis publicæ deſiderio. Qvi hôc conſiliô ad pacis negotium accedit, ut profiteatur ſe nihil remiſſurum, adverſarium teneri ad revocationem erroris, non facile habebit cum qvo tranſigat. Simulandus ſaltem veritatis venatus, veſtigiorum exploratio, retium expanſio, ut lucrifacias, qvî cum pax ineunda eſt, tametſi veritatem in ſinu & cubilibus qvaſi jam captam & repertam teneas. Egregiè* Auguſtin. *ad Manichæos, contra Epiſt. Fundam. c. III.* Nemo noſtrum dicat jam ſe inveniſſe veritatem: Sic eam qværamus, qvaſi jam ab utriſqve neſciatur, ita enim diligenter & concorditer qværi poterit, ſi nullâ temerariâ præſumtione inven-

,, ctrina & vitiis in vita Chriſtiana & praxi miniſteria-
,, li, qvaſi dubitanter loqvaris; ne videaris illos accu-
,, ſare

ta & cognita eſſe credatur. *Qvantum igitur à janua pacis aberraverunt, & medium τὸ ῥᾶςον ſuſqve habuerunt, non ſolùm* Irenicographus Heidelbergenſis (*Pareus*) *cap. IV. Irenici*; ſi, *inqviens p.* 14. pars adverſa, hôc ſcopô neglectô, id modò intendit, agitqve, ut opiniones ſuas de Ubiqvitate carnis Chriſti, orali ejus manducatione in ſacra Cœna, ſimileſqve alias, uti hactenus fecit, mordicus tueatur: contra Orthodoxam doctrinam & Eccleſias noſtras conſvetô præjudiciô damnet, premat, opprimatqve: meâ quidem ſententiâ, nullô fructu, ſed præſentaneô incommodô, gravioreqve vulnerum exulceratione inſtituetur Collocutio: tutiuſqve fuerit, tam periculoſâ moleſtiâ ſuperſedere, qvàm infelici conatu malum deterius reddere. Neqve enim Eccleſiæ & conſcientiæ noſtræ opiniones tam periculoſas (ut nihil gravius dicam,) admittere unqvam poterunt. *Sed &* Thorunienſes *collocutores Romanenſes, qui ſic animô obfirmatô acceſſerunt, ut dicerent*, ſe nihil omninò (de ſententia ſuà) remiſſuros, *id qvod meritò notat* D. *Hülſeman. Seſſ. xix. Idem olim Proteſtantes etiam conqveſti ſunt de tentata Auguſtæ conciliatione, ubi* (*ut refert* Sleidan. l.XIII.) *adverſarii delecti ſtatim ad initium actionis profitentur, nolle ſe vel tantillum de ſua opinione & doctrina decedere, ſed quidqvid facerent, eò fieri, ut in ſuam ſententiam (Proteſtantes) adducerent. Suſcipiatur utrinqve veritatis abditæ indago, ſeqvatur perſvaſio & convictio conſcientiæ efficax ad αὐτοκατάκριτον uſqve, qvâ obtentâ lis eſt perorata; Hoc enim in hoc foro qværitur, nihil ultra. In foro ſoli ju-*

dex

„ ſare velle, ſed ſuſpicionem ſolummodo fovere de iis,
„ qvæ non occultè reprehendes: Si inqvam, horum alteru-

dex non indefinitè de Titio & Sempronio judicat, ſed definitè ad certas perſonas & actus præſentes ita decernit, ut ejus judiciô ſine ulteriori examine ſtandum ſit. Alia in foro conſcientiæ ratio eſt, qvæ non niſi in ſatiis illuminatæ ex lege & teſtimonio divino convictæ veritatis centro acqvieſcit. Magna eſt Medicinæ & Theologiæ convenientia: ut illa imperfecta eſt, ac morbum potiùs exulcerat qvàm ſanat, quæ in reduviis curandis occupata, ipſis morbi aut vulneris intimis qvaſi venis & viſceribus non medetur; ita omnis labor pacificatorius imperfectus eſt, qvi ipſam Religionis ſedem conſcientiam nonferit; Coactio legalis, Synodorum decreta, vincunt qvidem non rarò externam locomotivam, ut ore, geſtibus, mente, adverſam Religionem profiteatur, ſed non evincunt conſcientiam, ut λόγῳ ἴσῳ ſimulatæ religionis ſubſcribat. Qvod vel unicô martyrum exemplô clariſſimum eſt; illos enim an ullæ interminationes, ullæ tormenta, ulli etiam exqviſitiſſimi cruciatus potuerunt à ſententia concepta abducere, & ad ſacra Diis & Cæſaribus facienda impellere?

— — Nulla eſt victoria major,
Qvam qvæ confeſſos animo qvoqve ſubjugat hoſtes.

Claudian. in VI. *conſul. Honor.* v. 248. *Omninò igitur in hoc foro Reus ſuimet fit judex, damnatus falſi, & convictus veri à ſemetipſo, id qvod tanqvàm ingens abſurdum abſurdè explodit* Th. Henrici *in anatom. Auguſt. Confeſſ. art.* 1. *cap.* IV. *pag.* 37. Qvis autem de tali concilio audivit unqvam, in qvo Reus, niſi ipſe velit condemnari, ad revocationem compelli non poſ-

„ ceterutrum fiat eâ, qvâ par eſt, modeſtiâ, non du-
„ bito, qvin ſine offenſione te audient. Nam cùm du-
„ plex poſſit. *Hôc ſenſu ſi Papa primò Reus, poſt Judex eum aliis; non contra primò Judex, nunqvam reus eſſe vellet, nihil eſſet qvod cauſſaremur.* Conf. eumdem Dannhawerum in Hyæna Friburg. Sect. II. §. 10. p. 14. 15. ê p. 16. adduco ſeqventia: *Putant nonnulli qvidqvid à ſe decretum fuerit, in eo pertinaciter eſſe perſeverandum*, ait Arrianus in Epictet. l. II 15. φαντάζονται (Ita primigenia ejuſdem verba ſonant) ὅτι δεῖ παντὶ τῷ κριθέντι ὑπ' αὐτῶν ἀπαραβάτως ἐμμένειν. Non in Perſica ſolùm ac Manliana Imperia; in legem irrevocabilem, quæ Reginam thalamô expulit; Johanni Baptiſtæ caput abſtulit; Danielem in lacum leonum abjecit; in T. Manlii ſententiam, cujus rigore Filius συνώνυμος vitam amiſit, hæc Arriani cenſura qvadrat: ſed & ſi nunc viveret, ſi novos phalariſmos notaret; in illa fortis armati ὀχυρώματα, in decreta Tridentina nunqvam refigenda, in præſcriptionis, antiqvitatis (qvam cani non prophetici, non ævi Apoſtolici nives dealbant, ſed ſeqviores, novitiæ, arte factæ,) ſignacula nunqvam reſignanda, in validum illum corroborati animi conceptum (Eccleſiam Romanam à vero deficere non poſſe) nunqvam aliò commovendum, dicturus eſſet illud ſuum, φαντάζονται! Præſtat hoc delirium ex ipſa domo Papæ confudiſſe (liceat enim è Scribani libr. IV. controv. c. III. παρῳδεῖν) *Si hoc extremæ dementiæ non eſt, qvid erit demum? tua probare & ea ſola; improbare reliqva, tanqvàm de privilegio ſtatus, veritatem poſſideas, qvidqvid demum mentitus fueris: alioſqve ſtatui huic extraneos, tanqvam veritatis abortivos de mendacio cen-*

„ plex via ſit ad humanæ mentis reformationem, altera, qvæ â dextris; altera, qvæ â ſiniſtris ſita eſt; illa „ videtur eſſe tutior, qvæ dextrè veritatem ſalutarem „ proponit aliorum judicio perpendendam, qvoniam re- „ ctum ſui & obliqvi norma eſt. Et ſi conſcientiis er- „ rantium lux aliqva veritatis indubitatæ nova affulgeat; „ ſolet ea errores ſine impedimento, ut Sol tenebras fu- „ gare. Sed ſi errorum & vitiorum redargutio ſiniſtrè „ præmittatur veritatis manifeſtationi, angor oboriri „ ſolet & perturbatio mentibus obcæcatis, unde ad- „ fectuum motus enaſcuntur, qvi majores tenebras intel- „ lectui offundunt, & conſcientias obdurant adverſus „ monita etiam ſaluberrima. Si tuô locô eſſem, vel- „ lem ipſis initiò edere brevem fidei & praxeos meæ „ dilucidæqve confeſſionem, de qva peterem ipſorum „ judicium, & an me ita ſentientem & agentem pro „ fratre in Chriſto agnoſcendûm judicarent, reqvirerem. „ Si in prima confeſſione mea aliqvid pleniùs explicatum „ vellent, id facerem ſobriè, attemperans omnia illo- „ rum captui, qvantum poſſem. Tùm ſi adqvieſcerent,

cenſeri, qvidqvid demum dixerint. Ita enim fecit, ut de mendacio veritatem, de veritate mendacium vindices; veritaſqve de mendacio, tanqvam à matris utero ſangvineſcat; mendacium de veritate, tanqvam à matris ubere lacteſcat. Romana qvæ dicitur Eccleſia, qvidqvid peremtoriè ſanxiſſet, credendum; de veritate, de Deo res eſſet; nos argumenta proponimus adverſa, de mendaciis, de ſomniorum fallaciis ſunt: ſtatuiſſet aliqvis è cœtu veſtro, Romanam cathedram delinqvere non poſſe; de Prophetica, de cœleſti irroratione foret: nos contrarium aſſerimus, de hæreſi, de lethargo, de ludibrioſo prædamnamur inſomnio.

„ & non fore ipſis ingratum viderem, qvod ea propone-
„ rem, qvæ in illorum doctrina & praxi deſiderarem;
„ illud deinceps facerem, eô, qvô jam dixi, modô,
„ non qvaſi acturus accuſatorem, ſed exploratorem, ut
„ habeant anſam me informandi de ſuo ſenſu, ſeqve ex-
„ plicandi in iis, de qvibus ego circa illos dubitarem,
„ & ſeſe corrigendi in iis, qvæ mihi reprehendenda
„ viderentur. Hîc habes conſilium meum, qvod ſi
„ tibi uſui eſſe poſſit in aliqvo, gaudebo tecum in Do-
„ mino. Vale, & fac me de tuis rebus & ſtatu in
„ Chriſto certiorem, ut & gaudii tui particeps eſſe
„ qveam. Dominus nos confirmet & inculpatos con-
„ ſervet uſqve ad diem glorioſæ adparitionis ſuæ. Au-
„ dio Dn. Tilenum † obiiſſe diem ſuum: ſed ſi in
„ vivis

† de Tileno diximus aliqvid in §. IX. c. II. p. 29. primæ Animadverſionum noſtrarum partis. Hîc lubet adjicere, qvæ tradit de illo perſonatus auctor Minutius Aqvilovicanus Frieſius in Examine Theſium Theologicarum Jacobi Capelli, qvas inſcripſit de Controverſiis, qvæ Fœderatum Belgium vexant, & Satiuſne fuerit tolerari ſententiam Arminii, qvàm damnari, impreſſo Thlibochori apud Homulum Plaſthum. annô M. DC. XXIV. in 8t. *Intereſt*, ait in p. 6. *Principatus iſtius* (ſcil. Jacobi Capelli Paſtoris & Profeſſoris Sedanenſis) *ut Fœderato Belgio arctiſſimè adhæreat & ad ipſius fortunam judicium ſuum componat. Hinc factum, ut ſimulatqve Synodus Dordracena in Belgio ſententiam dixerat de Controverſiis ibi natis, qvod ſexdecim integris ſeculis factum non fuerat, & paſtores plusqvam centum inclementer admodùm exauthoraverat, protinus exemplum illius ſecutus ſit, & Academiam ſimul*

„ vivis adhuc eſt, ſaluta eum, qvæſo, meô nomine,
„ & ſi Dnus. Adamus Borelus adhuc apud vos eſt, dici-
„ illi â me omnem felicitatem in Domino, eiqve offer

ſimul atqve Eccleſiam ſuam ad inſtar illius compoſue-rit. Nempe faceſſere ſtatim à munere ſuo fecit fidiſſimum ac dilectiſſimum Eccleſiæ illius miniſtrum, Franciſcum Auratum, *qvod ex occaſione textus ſui,* Deus neminem tentat &c. Jac. I. 13. *prolixiùs diſſeruerat, Deum non eſſe authorem peccati, atqve ex iſto indicio deprehenſus fuerat non abhorrere omninò à damnata in Belgio ſententia. Nec multò poſt, ſimili donativô mactavit Virum Clariſſimum* D. Daniélem Tilenum, *ſcholæ iſtius, dum præfuit, lumen atqve ornamentum poſt viginti annorum expleta ſtipendia, nullam aliam ob cauſſam, qvàm qvòd cum Synodo illa Belgica non ſentiret & qvòd Principatus illius intereſſet ab ea ſeorſim non ſentire: Atqve ut teſtatior fieret conſenſio, recepit in ejus locum* Petrum Molinæum, *Galliâ non ob religionem profugum, qvi pro Synodo iſta poſt damnatam cauſſam fortiter ſcripſerat, oppreſſóſqve atqve adflictos crudeli præfatione animosè invaſerat, adeóqve magnis molitionibus effecerat, ut Synodus iſta non tantùm totidem verbis ac ſyllabis reciperetur per totam Galliam, ſed ut & conſcientiæ & lingvæ omnium ac ſingulorum paſtorum, ſolemnis juramenti religione (horreſco referens) ad extremum uſqve vitæ halitum obligarentur. Ab hujus collega qvid expectari aliud poterat, qvàm qvòd eundem redoleret Spiritum? Nimirum operæ pretium erat, ut Anteſignani iſti in Repub. iſta, non tantùm, ſicut olim in velabro olearii, conſentirent; ſed ut audaci aliqvô facinore zelum ſuum teſtarentur & damnationibus præcedentibus atrum etiam ſuum calculum adjicerent.*

„ exemplar adpoſitarum cum Lutheranis mearum con-
„ ſultationum. Iterum vale ab eo, qvi eſt Tuus in
„ Chriſto Jeſu frater omni ſtudiô devotus, Johannes
„ Duræus. Rotterod. 9. Feb. St. n. 1641. P. S. Poſt-
„ qvam haſce ſcripſeram magnus hic faſciculus mihi
„ fuit à Dn. Serrario transmiſſus, qvem nunc trans-
„ mitto. Et qvoniam neſciebam, an tam ibi eſſem
„ notus, quàm eſt Dnus. Borelius, ita putavi conſul-
„ tum illi, qvàm potiùs tibi inſcribere totum faſcicu-
„ lum. Iterum, vale & noſtri ſis in precibus tuis me-
„ mor.

§. VIII. Ut oſtendat Petrus Serrarius Conjunctionem Planetarum ea, qvæ dixerat, portendere, colligit inter cetera & ex eo in p. 17. ſuæ Diſſertationis, qvòd *die, qvæ illam præceſſit, ſcilicet x. Decembris inciderit Dominica ſecunda Adventus, cujus Euangelium, ut vulgo loqvuntur, dejumatur è Luc.* xxi. 25. Et erunt ſigna in Sole, & Luna & ſideribus &c. *Perinde ac ſi ille noſter benedictus DEUS cui omnes viæ ſuæ notæ ſunt ab æterno, præter hunc planetarum congreſſum poteſtatumqve harum cæleſtium agitationes, hanc qvoqve prophetiam & exhortationem Domini Jeſu expreſsè illô die, congreſſum hunc immediatè antecedente, omnibus prælegi & inculcari juſſiſſet, ſi fortè adhuc in extremo hoc temporis momento aliqvi reſipiſcere vellent, & ſalvari mererentur.* Refutaturus hæc Dn. Mareſius inter cetera p. 16. §. 43. Chiliaſmi enervati & hoc adfert: *Et ſi valeret illa obſervatio in ſtylo Gregoriano ſive novo, ceſſat tamen in veteri ſive Juliano: adeoqve illud omen qvod ex iſta hypotheſi terrere debuit Amſterodami, non potuit hîc Groningæ obtinere: Nam pervigilium illius conjunctionis, qvod iſthîc erat ſecunda Dominica*

ca Adventus, hic apud nos erat Adventus Dominica prima: Deinde falſum eſt illam Lectionem Euangelicam ex Luc. XXI. 25. pertinere ad ſecundam Dominicam Adventus, cujus Euangelium deſumitur ex Matth. 1. 1. & ſeqq. ſed pertinet ad Dominicam primam, qvæ juxta ſtylum Julianum incidit qvidem in 30. *Novembris, Decembris* 10. *ac juxta Gregorianum in Decembris* 3. *Novembris* 23. *Qvod calculis noſtrorum Computiſtarum conturbandis ſufficit.* Hîc hæreo, & provoco ad omnes interpretes, qvos ego qvidem vidi, Euangeliorum, & Poſtilla, uti vocant, & Pontificiorum & Reformatorum & Lutheranorum in Germania; in nullo ſanè comparebit ſecundæ Dominicæ Adventus textum Euangelicum prælegi è Matth. I. 1. ſ. Sanè nullâ die Dominicâ totum per annum ullus textus popûlo prælegitur pro concione explicandus è Matth. I. capite, ſed Dominicâ I. Adventus explicatur, in Germania qvidem ubiqve, Euangelium è Matth. XXI. c. v. 1. ſ. & Dominicâ II. Adventus ſolet exponi Euangelium è Lucæ XXI. 25. ſ. ut ut ſit de Stylo Gregoriano, qvi planè non novos vel alios textus, ab in Eccleſia receptis, explicandos præſcribit diebus Dominicis.

§. IX. Nullo opportuniore locô poterat dari epiſtola, qvam hactenus ſervavi manuſcriptam, Petri Serrarii cognitione digna, & utilis ſeculoqve minimè invidenda; hôc ſe habens modô. *Chariſſime Frater & amice mi. Gratiam & pacem abundantem cordibus noſtris infundat benigniſſimus ille noſtrûm Pater in Chriſto Jeſu. Qvamvis hucuſqve diſtulerim tibi ſcribere de ſucceſſu mearum rerum, non tamen deſii tui mentionem in precibus meis continuò habere, Deoqve & tibi in corde meo gratias agere pro amico & familiari,*

D 5 *qvam*

qvam nuper mecum habuiſti, collatione & mutuo diſcurſu: pænituit me non parum, tam brevem me feciſſe moram apud te, cùm alioqvin id negotia mea qvidem permiſiſſent, modò tunc mihi, ut nunc, id exploratum fuiſſet: illi enim, qvos ad Parentes prævenire feſtinabam, aliis negotiis detenti, ſeriùs, qvàm putabam, Amſterodamum redierunt. Cæterùm, qvod res meas attinet, non ſatis poſſum DEUM laudare, qvòd hucuſqve tam benignè & placidè mecum actum fuerit: parentes enim, qvamvis ob rei novitatem attoniti & perplexi, non tamen videntur de ſuo erga me affectu qvicqvam deflexiſſe. Dolent qvidem valde, omnem de me ſpem, qvam conceperant, irritam iri, familiam ſuam & ſe mei de cauſſa hæreſeos ſuſpectas fore: ſed tamen eadem ſemper erga me propenſio remanet. Ipſi etiam, qvibus â Synodo mea cauſa eſt demandata, tam placidè mecum agunt, ac pro ſua conſcientiæ diſpoſitione, & curæ commiſſæ fideli executione licere videtur; non exaſperant parentes, ſed conſolantur potiùs & demulcent; non (qvod ſciam) me diffamant, aut odioſum reddunt, ſed excuſant potiùs, aut ſilent de me: non præcipites fuerunt in mei condemnatione, ſed tempus mihi dederunt ſatis longum, ut rem penitiùs inſpicerem, & examinarem; interea etiam ſinguli concionatorum me privatim convenerunt, de mea ſententia inqviſiverunt ſuper articulos, in qvibus eſſem diverſus â communi opinione, protuli ſaltem qvatuor vel qvinqve articulos de juſtificatione, de regeneratione, de gratia univerſali, tandem etiam interrogatus coactus fui ſententiam de carne & ſangvine Chriſti proferre, ſed tam ſobriè de illo inſigni myſterio pietatis ac potui, locutus fui, maluiqve ignorantiam profiteri, qvàm in dubio lumine

de

de illis arcanis conceptionis temerariè judicare. Tandem poſt aliqvas inter nos de his articulis collationes, cùm viderent me perſiſtere in mea ſententia, & objectiones ipſorum omnes refellere, judicarunt eſſe officii ſui procedere contra me ad executionem ſententiæ â Synodo decretæ: itaqve ante aliqvot dies mihi annontiârunt, eſſe concluſum penes eos, ne ego Coloniam redirem, ſed in mei locum eſſe alium ſubſtituendum, quâ de re craſtina die informabuntur Colonienſes: preterea, me conſultum voluerunt, ut qvam primum feret occaſio, de Urbe exeam; ne, ſi ad vulgus de me rumor diſpergeretur, cogerentur illi me publicâ excommunicationis infamiâ pro populo notare. Itaqve inter parentes & me concluſum & ſtatutum eſt, ut Frannekeram aut Groeningam, profectus, ſtudio Medicinæ operam navarem: maluiſſem eqvidem aliam minùs difficilem & meæ tenuitati magis convenientem vocationem adgredi, ſed in hoc parentibus complacere, & amicorum meorum conſilia inire mei officii eſſe putavi. Preterea ehem DEUm opt. Max. in hac deliberatione mihi videor pro inſtigatore in animo meo manifeſtò ſenſiſſe & etiamnum ſentire. Vides igitur Chariſſime frater, qvo in ſtatu ſe res meæ habent, utinam nunc te, ut nuper, convenire per diem unum vel alterum liceret, non ſolùm occaſionem haberem conferendi de rebus theologicis, ut nuper, ſed preterea inqvirerem de convenienti methodo, de libris, & ſimilibus, qvæ mihi ad hoc ſtudium medicum pertutilia & neceſſaria ſunt; ſed qvamvis oretenus convenire jam non detur, confido tamen te non recuſaturum per litteras aliqvâ dehis communicatione me dignari. Si fortè hinc profectus fuero, anteqvàm mihi reſcripſeris, modò ad patrem litteras direxeris, in ma-

nus

nus meas ſatis tutò pervenient. Locutus ſum heri illi amico Alcmarienſi, qvi ſuô nomine te plurimum ſalutare juſſit, rogatqve ut ſcriptô aliqvô ipſum inviſere, & de donis tibi divinitus collatis eum participare non graveris, eſt enim omnium Chriſti diſcipulorum ſincerus & cordialis amator: eorum nempe, qvi non verbis, ſed factu & reipſâ Chriſtum imitantur, & perfectè ſperant in gratiam illam, qvæ manet omnes verè Chriſtianos & Theophilos. Qvam mihi commiſſionem dederas perſolvendi illud, qvod hîc debebas, jam diu executus fui: ſed qvod attinet illa, qvæ Coloniæ erant exeqvenda, illa non potero exeqvi, qvia illuc non ſum rediturus, ideoqve ſvadeo ut ipſe litteris illa peragere velis: Qvæ tibi de matrimonio propoſito dixi, illa non qvidem miſſa feci omnino, ſed DEO reſignavi, & in commodius tempus & opportuniorem occaſionem diſtuli: interea animum & corpus in priſtina libertate ab omni obligationis jugo, qvantum æqvum eſt, reſervare conabor. Vale amice & frater chariſſime, & ſaluta meô nomine D. Schoutenium, ſi adhuc apud illum diverteris. DEUS te in gratia ſua ſtabiliat & confirmet magis & magis in exemplum vivum Euangelicæ & Chriſtianæ juſtitiæ, ut & nos te ſeqvendo feliciter ad unicam illam metam perveniamus, qvæ eſt Chriſtus Jeſus, benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Datum Amſterodami ultim. Octob. 1628. Petrus Serrarius. Inſcriptio: *Aen den eerſamen Abraam Aroudeaulx in de boogard ſtrate om te beſtellen aen Juſtinum van Aſſe ſijn neef te Middelburg.*

§. X. Poſtqvam enumeraverat in Vita ſua Matthias Paſor, Cl. illius Georgii Paſoris filius, Philoſophiæ, dum viveret, ac Theologiæ Doctor & Profeſſor in Acade-

Academia Gröningenſi Friſiorum Celeberrimus, omnia ſua abs ſe edita ſcripta & libros, ſubjicit in p. m. 58. edit. Gröning. M. DC. LVIII. in 4to. *Nolui nimis multa ſcribere 1. Ne juventutem abſtraherem à lectione graviorum authorum, qvos per DEI gratiam habemus. 2. Ne miſeris Typographis imponeretur, qvi ſæpe magnos ſumptus impendunt libris nunqvam vel tardè admodum diſtrahendis.* Qvæ verba ſicuti magnam proximi dilectionem produnt, ita non minorem animi raram in eruditis moderationem. Qvem enim mihi dabis qvi ſcriptis ſuis nolit inclareſcere, aut in Bibliopoliis venalis eſſe, ut Lutherus ait. Nemo non intereſſe Orbis putat, ſcripta ſua ut edat in publicum, cacatiſqve talibus ſeculum chartis carere non poſſe ſibi perſvadet. Rogatus aliqvando in aula Daniæ Regis Theologus non indoctus nec obſcurus, D. Stephanus Clotzius, ſuas ut ibi habitas in publicum extruderet conciones eruditiſſimas, erat qvippe magnus dulciſqve naturâ & arte Eccleſiaſticus Orator, profectò non vanus; reſpondiſſe graviter fertur: *Nolim Seculum onerare libris meis hominibuſqve de illis anſas conqverendi dare.* Planè ad mentem Solidiſſimi Argentoratenſium Theologi D. N. Sebaſtiani Schmidii, cujus in præfatione eruditiſſimi de Imagine DEI libri hæc probè advertenda occurrunt. *Pridem mihi hic ſedebat animus, plerumqve ſaltem hujus generis laboribus atqve ſcriptis carere poſſe Chriſtianum orbem, niſi ubi officium imponit & poſtulat. De me ſanè ſemper hoc exiſtimavi, & exiſtimare debui (fateri namqve non erubeſco) qvod nihil in me tam egregium eſſet, nec à me qvicqvam tàm perfectum proficiſci poſſet, ut domi latitare neqviret. Eſt eadem adhuc mens, Confirmârunt in illa namqve olim gra-*

viſ-

viſſimorum Theologorum judicia, qvi, multa ſcribi, ut bibliothecæ onerentur, obſervârunt cenſueruntqve. Iidem tamen in hac ſimul fuerunt ſententia, rectè ſcribi, ad qvæ ſcribenda officii ratio vocet. Cùm me itaqve, ut noſti, Deus optimus Maximus ad publicum docendi in Academia hac Argentoratenſi munus vocâſſet, iſtius qvidem memor, hujus tamen non immemor eſſe debui. *Obſervavi præterea hactenus, qvòd in neceſſitatem qvandam res excreverit, ut, qvi in Academiis vivunt docentqve, etiam non neceſſaria in lucem emittant: Qvòd, ſi non fecerint, nihil agere videantur, ſuoqve deeſſe officio.* Hæc Dn. Schmidt. Memoriâ ac laude perenni, auctore Jacobô Altingiô Sacrar. litterarum & Lingvæ Hebrææ Profeſſore Groeningenſi, ſub initium præfationis Academicarum Diſſertationum, digniſſima eſt præfatio D. Martini Lutheri Reformatorum, ut vocat, per Germaniam primi, qvam primæ parti librorum ſuorum Germanicorum præfixit; cujus prima & ultima Latinè dicto ab Altingio facta â me hîc exhiberi, non minus volupe qvàm utile cum ipſo futurum exiſtimo. Sic autem orditur vir θεήλατος partem I., ut dixi, Oper. ſuper qvaſdam Apoſtolorum Epiſtolas Wittebergæ M. D. XXXIX. *Volente me factum fuiſſet, ſi omnes libri mei neglecti periiſſent. Rationum complurium una hæc eſt, qvia abominor exemplum. Nam ſatis video qvid commodi redundârit in Eccleſiam, qvando cœperunt extra & præter S. Scripturam colligere multos libros & grandes bibliothecas, atqve imprimis citra diſcrimen congregare omnis generis Patres, Concilia, & Doctores: qvô factô non ſolùm pretioſi temporis & ſtudii Scripturarii diſpendium fieri contigit, verùm etiam pura agnitio Verbi divini tandem intercidit, eouſqve*

ut

ut Codex Biblicus (non aliter qvàm qvinto libro Moſis contigit tempore Regum Judæ,) abjectus infra ſubſellia, pulveriqve qvaſi inſepultus in oblivionem venerit. Licet autem utile ſit ac neceſſarium qvorundam Patrum & Conciliorum ſcripta fuiſſe ſervata, tanqvàm teſtimonia & hiſtorias rerum geſtarum; Sic tamen mecum reputo, Eſt modus in rebus: neqve obeſt libros multorum Patrum ac Conciliorum, Dei beneficiô, intercidiſſe. Si enim univerſi ſuperfuiſſent, ob librorum copiam nulla ingredientibus egredientibuſqve patuiſſet via, neqve tamen melius qvid præſtitiſſent, qvàm in Sacris literis occurrit. Hæc quoqve nobis ſedit opinio, qvando Bibliorum verſionem Germanicam aggreſſi ſumus, minus deinceps ſcriptum, plus autem in Scripturâ lectum & meditatum iri. Nam cætera ſcripta omnia ad Sacras literas manuductioni ſervire debent, uti Johannes ad Chriſtum ducit, dicens, Me oportet minui, illum autem creſcere, ut qvivis ipſe ex limpida ſcaturgine bibat, non ſecus ac Patribus cunctis factitandum fuit, qvi aliqvid boni præſtare voluerunt. Nulla namqve Concilia, nulli Patres, neqve etiam nos, licet optimè cedat, & longiſſimè provehamur, unqvam paria faciemus cum S. Scriptura, hoc eſt, Deo ipſo (qvanqvam ut ſalvi fiamus non debeat nobis deeſſe Spiritus S. fides, divinus ſermo atqve opera:) utpote qvibus, relictâ Prophetis & Apoſtolis cathedrâ, ſedendum eſt ad horum pedes & audiendum qvid dicant; non autem nobis loqvendum qvod ipſi audiant. Sed cùm neqveam prohibere, atqve meis ingratiis libros meos, (exiguo meo cum honore) velint conjunctim nunc typis evulgare, concedendum mihi iſtud eſt, ut laboris ac ſumtuum adeant periculum. Hoc verò me ſolatur, meos qvoqve

libros tandem ſub pulvere neglectum iri, maximè ſi qvid boni (Deo juvante) ſcripſi: Non ero melior Patribus meis: cætera fortè felicius perennabunt. Si enim ipſa Biblia aliqvando neglecta jacuerunt, atqve ipſi Patres & Concilia, meliora potiſſimum, ex hominum memoria perierunt: ſperare licet, poſtquam hujus ſeculi curioſitati fuerit ſatisfactum, meos qvoqve libros brevis ævi futuros: inprimis ex qvo velut denſâ nive aut copioſâ pluviâ libris doctoribuſqve omnia fuerunt impleta: qvorum tamen aliqvi jam ſitu corrupti interierunt, ut ne qvidem nominum ulla amplius ſit recordatio, etſi ea ipſis fuerit fiducia, nunquam non libros ſuos in foro venales fore, ſeqve Eccleſiis dominaturos. Fiat igitur in nomine Domini: Hoc ſolum omnes illos exoratos velim, qvotqvot mea nunc depoſcunt ſcripta, ne ſibi iſta qviſqvam ulli remoræ eſſe patiatur, qvo minus in ipſa Scriptura occupet ſua ſtudia, ſed eo habeat locô, qvô egô Pontificis Decretum & Decretale, & Sophiſtarum libros, ecqvando forte lubeat inſpicere qvid egerint, aut temporum rationem inire: non autem ut inde diſcam, aut ea ſeqvar, quæ ipſis placuerunt. Neqve multo aliter Patrum Conciliorumqve voluminibus utor. Imitor autem hîc S. Auguſtinum, qvi cæteros inter primus ac ferè ſolus eſt, qvi nullis Patrum Sanctorumqve libris teneri voluit, ſed ſolis Scripturis ſubjici. Qva de cauſa non levis ipſi cum S. Hieronymo interceſſit controverſia objectante Veterum codices, ſed qvem nihil horum commovit. Et ſanè ſi hoc S Auguſtini exemplum ſecuti fuiſſent, Papa non degenerâſſet in Antichriſtum, neqve tam innumera inſecta & examina librorum irrupiſſent in Eccleſiam, ſed Biblia ſuggeſtum & ambonem jugiter poſſediſſent. Præterea indicabo tibi

bi rationem veram ſtudii Theologici, quam exercui, quamque ſi obſervaveris, tantùm proficies, ut (rebus poſcentibus) æquè bonos libros queas ſcribere ac Patres & Concilia, quemadmodum omni ſuperbiâ & mendaciô procul, (in Deo) audeo gloriari, me quibuſdam Patrum non multum ceſſurum, ſi libri ſcribendi forent; quibuſcum tamen quoad vitæ ſanctitatem contendere nolim. Eam rationem Rex David docet (quam etiam Patriarchas & Prophetas ſecutos crediderim,) Pſalmo CXIX. *ubi tres regulas invenies ſæpiùs inculcatas, Orationem, Meditationem, Tentationem.* His porrò enarratis dicit: *Si in ſtudiis hoc exemplum fueris imitatus, juxta cum ipſo cantare & gloriari poteris ex eodem Pſalmo,*v.72.: *Lex oris tui mihi charior eſt, quàm millena auri & argenti: Item,*v.78.: *Inimicis meis ſapientiorem me reddis præceptis tuis, ſunt enim in ſeculum theſaurus meus:*v.99.*Omnibus doctoribus meis doctior ſum,quia teſtimonia tua meditatio mea ſunt;* v.100. *Senibus prudentior ſum, quia mandata tua cuſtodio, &c. Experieris etiam Patrum libros non niſi vappæ inſtar futuros ſapore nullo aut corruptô; neque tantùm adverſariorum ſcripta ſpernes, ſed etiam tibi ipſi ſcribendo & docendo minus minuſque placebis. Atque huc ubi perveneris, bonô animô eſſe licebit, cœpiſſe te fieri Theologum verum, qui non ſolùm pueros & imperfectos Chriſtianos, verùm adultos quoque & perfectos queas docere. Eccleſia enim Chriſti omnis generis Chriſtianos continet, juniores, ſeniores, debiles, ægrotos, ſanos, robuſtos, integros, pueros, ſimplices, ſapientes, &c. Quod ſi tibi perſuadeas atque opineris, te jam aſſecutum, tibique plaudas & blandiaris propriis libris, doctrinâ aut ſcriptis, quaſi eximii quid præſtitiſſes; delecteris etiam laudibus ſu-*

præ alios evehi; fortaſſis etiam laudari velis, aliàs triſtandus, animumqve deſponſurus: Hujus ſi fueris ingenii, contrecta qvæſo auriculas, & modò rectè apprehenderis, nobile par invenies magnarum, longarum, hirſutarum aurium Aſininarum. Atqve tunc ne pigeat porrò ſumtus eos facere, ut aureis ornentur tintinnabulis, ut qvocunqve iveris, exaudiri qveas, monſtrariqve digitis dicentium, Ecce iſthâc incedit ſpecioſum illud animal, qvod adeò pretioſos ſcribit libros, & tam eximiè concionatur: atqve tunc terqve qvaterqve beatus es in regno cœlorum, imò ubi Diabolo & angelis ejus æternus ignis paratus eſt. Ergò gloriam qværamus & ſuperbiamus ubicunqve libet, in hoc libro Dei ſolius eſt gloria: valetqve illud, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Hactenus Lutherus: Cogitâſſent utinam ſcripturientes nonnulli, qvod pro ſe reſpondit Eraſmus librô I. Epiſtol. II. ad Petr. Barbirium, p. 6. edit. optimæ Baſileenſ. M.D. XXXVIII. *Sed dices: Hactenus non ſcripſiſti qvicqvam adverſus Lutherum. Id qvo minus fecerim duo præcipuè fuerunt in cauſa, ocii penuria, & imperitiæ propriæ conſcientia. Diſtorqvebar meis ſtudiis, adeo ut ſæpenumero valetudo laboribus immodicis periclitaretur. Et videbam longè aliud eſſe hortari ad ſtudium bonarum literarum, invitare ad bonos mores, annotare aliqvid in lectione ſacrorum voluminum: aliud rem fidei in orbis totius theatro tractare. Videbam utrinqve partes ſic accenſas ſtudiis, ut alteri, niſi magnis vociferationibus ſatis fieri non poſſet: alteram ſic inſtructam & copiis & dentatis libellis, ut malim Elvetiorum lanceis objici, qvàm horum ſtylis confodi. Habent enim multos qvorum literæ videantur apud poſte-*

poſteros victura. Et tamen fateor in cauſa fidei vitam etiam negligendam, ſi modò ſatultas reſpondiſſet animo. Certè non concedo Latomo, ut illi magis diſplicuerit hoc orbis diſſidium qvàm mihi: præſertim cùm hôc fermentô viciata ſit ubiqve ferè dulcedo ſtudiorum. Ut inſanum ſit, omnia probare, qvæ ſcripſit aut ſcripturus ſit Lutherus, ita non placet, auctoris odiô damnare qvæ vera ſunt, ea depravare qvæ recta ſunt. Si ſcribit adverſus Lutherum, qvi ſubinde vocat illum aſinum, ſtipitem, beſtiam, cacodæmonem, antichriſtum, nihil erat faciliùs qvàm in illum ſcribere. Ego ex omnibus illius lucubrationibus vix duodecim legi pagellas. Neqve enim vacat, & ſi vacaret, malim hoc ocii in vetuſtis auctoribus collocare. Et tamen vix qvemqvam adhuc repperi, qvi ſe dicat pœnitere legiſſe libros illius, etiamſi multa diſpliceant. Qvid multis? Tale negocium eſt, ut difficillimum ſit ita ſatisfacere hominibus, ut nuſqvam prodas Euangelicam veritatem. Res non ſolùm abſolutam eruditionem, verùm etiam ſingularem prudentiam, deſiderat: non ſine auctoritate. Sic qvidem res eſt. Attamen æternùm ſepelire monumenta χερυσ̃ χρυσότερα, ſtylos Eccleſiaſticos ita confodi, ne qvis ſuperſit in famæ templo tropæi reportati, contumaciæ debellatæ apud poſteros teſtis, id ſanè qvoqve par & æqvum haut eſt. Non malè Adamus Contzen Jeſuita IX. Politicorum ſcribit c. XXXIV. p. 705. *Multi prudentiores in controverſiam vocant, an omninò expediat de rebus fidei libros ſcribere? Verùm non ſunt audiendi illi, qvi hac de re dubitant: nedum qvi ſcriptiones in univerſum abolendas cenſent. Adeò qvidem ut Catholicorum pro fide ſcriptiones inhibere, ſit perinde atqve fidem prodere. Certè Apoſtolus pleraſqve epiſto-*

las contra Sectarios conſcripſit de Juſtificatione, Lege, Prædeſtinatione, ad Romanos & Galatas, de variis Pſeudo-Apoſtolorum erratis ad Corinthios; Philippenſes etiam admonet, ut caveant canes, malos operarios; Coloſſenſes, ne qvis eos decipiat in ſublimitate ſermonis, aut per inanem Philoſophiam: Theſſalonicenſes inſtruit contra eos qvi dixerunt, inſtare diem extremum. Epiſtola ad Hebræos tota eſt in oppugnatione Judaizantium. Controverſias etiam tractant Johannes, Jacobus, Petrus in ſuis Catholicis, adeò ut qvi morem receptum de controverſiis ſcribendi culpare audent, iidem de Apoſtolis ac Spiritu Sancto ſibi judicium ſumant. Veterum libri, qvi de multis pauci ad manus noſtras venerunt, inſpiciantur, magnam partem eriſtici ſunt, & hæreſes inſeqvuntur. Non opus eſt hoc docere, paginæ ipſæ clamant: ſi cui grave auctores adire, conſulat indices Tertulliani, Cypriani, Athanaſii, Hilarii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aliorum. Factum igitur hoc ſemper in Eccleſia, ut hæreſes clàm ſerpentes, aut apertè graſſantes, omni curâ tollerentur: qvod qvia facillimè ſcriptionibus fieri poteſt, illæ uſurpandæ ſunt, cum facillimè in aliorum cognitionem veniant, meditatè concinnentur, & teneri diutiſſimè poſſint, præſertim ipſa cùm colloqvia ſcribi per notarios ſoleant, ut non modò præſentes inſtituantur, ſed longè diſſiti intereſſe diſputationi, & de re judicare poſſint. Hæc ille Jeſuita. Concludam feſtivis hoc negotium verbis D. Dannhaweri noſtri, qvibus in p. 6. §. 3. Hyænæ Friburgicæ utitur. *Eo in ſeculo vivimus, in qvo non lectores ſolùm ſed & æra typographica ſyncretiſare, âqve Polemica Theologia, utpote heris ſuis non admodum lucroſâ abhorrere videntur; ipſa qvoqve mirata tam cito*

tam

tam ſenſim ſe facta eſſe ſyncretica. At hoc non tam Typographis imputo qvam Lectoribus librorum & emtoribus. Illis enim utplurimum ſolum lucrum reſpicientibus pleriſqve perinde eſt, qvidqvid imprimant modò his placeat & vendi qveat Inde & tot nugæ, qviſqviliæ cacataqve obtruduntur orbi ſcripta planè non ad doctrinam facientia aut ullam utilitatem, ſed ad riſum & oblectationem ſtolidæ plebeculæ & imprudentis juventutis vel laſcivientis, fallendumqve tempus. Talia jam imprimuntur, nec paucos reperiunt emtores, & ſunt in precio.

CAPUT III.

§. 1. Qvàm vagum, vanum, incertum & indefinitum hæreſeos apud Pontificios nomen ſit, neminem in tanta calumniarum & maledicentiæ copia vel ignariſſimum præterire putamus. Sanè ſi qvis de Papæ omnipotentiæ, de Clericorum exemptione, & ceteris id genus Jeſuiticæ doctrinæ capitibus auſus fuerit dubitare, habebitur ſtatim hæreticus, & violatô ipſo gentium jure tormentis inqviſitorum ſubjicietur. Egregiam Hiſtoriam habes apud Baptiſtam, vel ut aliis placet, Bartholomæum, Platinam *Patriâ Cremonenſem, Apoſtolicum qvondam Abbreviatorem, virum,* auctore Joh. Trittenhemiô Abbate Spanbemenſi in libro de Scriptorib. Eccleſiaſtic. *undecumqve doctiſſimum, Philoſophum & Rhetorem celeberrimum, ingeniô ſubtili & vehementem, eloqviô diſertum & mulcentem, animô conſtantem & validum* (etſi enim in Hiſtoria Pontificum Romanorum, qvam ut ipſémet in fine Prooemii teſtatur, juſſu Sixti IV. Pontificis

conſcripſit, turpiter & impudenter Papæ adulatus ſit, tamen, ut rectè monet Auctor Catalogi Teſtium Veritatis Tomô II. p. 882. nimiâ ipſorum turpitudine ac malitiâ coactus, aliqvando etiam ſubindicat nefanda eorum ſcelera) in Vita Pauli II. p. m. 784. edit. optimæ ſine mentione loci annô M DC.XLV. in 12. *impreſſæ fideliter*, ut habet titulus, *â litera ad literam, ſecundùm duo exemplaria, qvorum unum fuit vivente adhuc auctore, annô* M.CCCC.LXXIX. *alterum annô* M.D.XXIX. Qvamqvam & recordor me Platinam aliqvando vidiſſe ex editione Veneta de anno CIↃ IↃ X. in fol. Accipe nunc Platinæ verba *Neqve hoc qvidem contentus Paulus, qvos paulò antè conjurationis & majeſtatis accerſierat, eoſdem mutatâ ſententiâ ob divulgatam fabulam hæreſeos accuſat. Trahitur ad urbem Pomponius Venetiis captus, per totam Italiam tanqvam alter Jugurtha: ducitur in judicium Pomponius, Vir ſimplicis ingenii, neqve conjurationis, neqve alicujus ſceleris conſcius. Rogatus cur nomina adoleſcentibus immutaret?* (nota hæreticum facinus) *Ut homo liber erat, Qvid ad vos, inqvit, & Paulum, ſi mihi Feniculi nomen indo? modò id ſine dolo & fraude fiat. Amore namqve vetuſtatis antiqvorum præclara nomina repetebat, qvaſi qvædam calcaria, qvæ noſtram juventutem æmulatione ad virtutem incitarent.* & paullò pòſt. p. 785. *Decimô menſe poſt captivitatem noſtram in arcem veniens,* (Paulus ſcil.) *ne tantum tumultus fruſtra concitâſſe videretur, multa nobis objicit, ſed illud potiſſimùm, qvod de immortalitate animorum diſputaremus, teneremuſqve opinionem Platonis, qvam D. Auguſtinus Chriſtianæ religioni ſimillimam eſſe cenſet. Merito inqvit Aurelius, Cicero Deum inter Philoſophos Platonem vocat, qvi certè cunctos ingeniô &*

ſapientiâ ſuperavit: hunc mihi delegi qvo cum diſputarem, qvi & de ultimo hominis fine, & de divina natura meliùs qvàm ceteri philoſophatur. In dubium, inqvit Paulus, diſputando Deum vocabatis. Qvod quidem omnibus Philoſophis & Theologis noſtrorum temporum objici poteſt, qvi & animos, & Deum, & omnes Intelligentias ſeparatas, diſputandi, ac veri inveniendi cauſâ in dubium plerumqve vocant. Præterea verò hæretici ſunt, ut ait Auguſtinus, qvi, qvod pravè ſapiunt, pertinaciter defendunt: Sanam diſciplinam nunqvam aſpernati ſumus, qvod facere conſveverunt (ut ait Leo) erroris magiſtri, qvi ſeorſum ab Eccleſia *ſentientes, hæretici meritò, Hieronymô teſte, ſunt appellati. Rationem vitæ meæ poſtqvàm ſapere per ætatem cœpi, uſqve ad hæc tempora reddere vobis poſſum: Nullum mihi facinus impingi poteſt: non furtum, non latrocinium, non ſacrilegium, non depeculatus, non parricidium, non rapina, non Simonia. Vixi, ut Chriſtianum decebat; confeſſionem & communionem in anno, ſemel præſertim, intermiſi nunqvam. Nil ex ore meo excidit, qvod contra ſymbolum eſſet, aut hæreſim ſaperet, &c.* Paulò pòſt, *Cùm verò noſtra de re inter Palatinos Epiſcopos duos, & duos fratres eſſet aliqvando diſceptatum: qvorum alter erat ordinis Franciſci, alter Dominici, venêre ferè omnes in hanc ſententiam, nihil eſſe in nobis qvod hæreſim ſaperet.* Tandem p. 787. *Paulus tamen hæreticos eos pronunciavit, qvi nomen Academiæ vel ſeriò, vel jocô deinceps commemorarent.* Et ſub finem vitæ & totius libri p. 793 ſ. addit, *Humanitatis autem ſtudia ita oderat & contemnebat, ut ejus ſtudioſos uno nomine hæreticos appellaret: Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutiùs in ſtudiis literarum*

verſari paterentur, ſatis eſſe, ſi legere & ſcribere didiciſſent. Hæc Platina, cui adjungimus Davidem â Mauden noti nominis Juriſconſultum & Theologum, qvi in ſuis, qvos vocat Diſcurſibus Moralibus in X. Præcepta, diſcurſu primum in præceptum XIV. p. 69. admodùm præ ceteris clarè & diſtinctè Scholæ mentem nobis Pontificiæ de Hæreſeos, ut vocant, objecto detegit, inqviens: *Certum primò eſt, Hæreticos eſſe, qvi ſcienter ſuſtinent qvid contrarium ſacræ ſcripturæ, aut definitioni Eccleſiæ: videlicet, hominem non habere liberum arbitrium; opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem; Sanctos non eſſe invocandos; eorum reliqvias non eſſe honorandas: Delectum ciborum eſſe ſuperſtitioſum, Sacramenta Chriſti nihil magis operari, qvàm Sacramenta legis Moſaicæ, hiſqve ſimilia. Secundò conſtat, Hæreticum eſſe, qvi pertinaciter adhæret alicui falſæ doctrinæ, etiamſi eſſet in re minima, quæ in ſe videretur parvi momenti. Exempli gratiâ. Qvi pertinaciter ſuſtineret, Moiſen, per ſenium cœcitatem oculorum incurriſſe, aut edentulum fuiſſe. Dicit enim ſcriptura Deut. ult. v. 7. Moyſes centum & viginti annorum erat, qvando mortuus eſt, non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti ſunt. Similiter qvi ſic ſuſtineret: Super ſepulchrum Lazari, non fuiſſe ſuperpoſitum lapidem. Nam Joh. XI. v 38. dicitur. Jeſus rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum* (*Lazari.*) *Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Confirmatur ex Clementina unica de ſumma trinitate. Ubi Pontifex definit hæreticum cenſendum eſſe, qvi deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, qvòd anima rationalis non ſit forma corporis humani.* Hactenus *Mauden*: qvem ingenuitate ſuperat Gre-

go-

gorius de Valentia, qvi tom. 3. Com. Theol. diſp. 1. de objecto fidei, ubi fuſè adlaboráſſet evincere, ſola ſcripta Prophetica & Apoſtolica, non eſſe adæqvatum Fidei objectum, tandem ita concludit diſp. 1. de Objecto fidei punct. 7. quæſt. 6. pag. edit. Lugdun. 226. ſeqvent. *Qvotiescunqve, Romanus Pontifex in fidei qvæſtionibus definiendis, illâ, quâ eſt præditus autoritate utitur, ab omnibus fidelibus, tanqvam doctrina fidei, recipi divinô præceptô debet ea ſententia, qvam ille decernit eſſe ſententiam fidei.* Et ut adhuc clariùs eluceat Pontificiorum in adſerendo audacia: *Diſputatoribus Pontificiis in Colloqvio Ratiſbonenſi*, articuli fidei ſunt (pag. edit. Monach. 261. 262. 263. 264.) Judam cum Thamare, nuru ſua, concubuiſſe: Fontem de terra in Paradyſo aſcendisſe: Tobiam ſecum canem duxiſſe: Tobiæ canem caudam moviſſe. En articulos fidei, qvos qvi pertinaciter negat, hæreſin incurrit! Et ne qvis credat, luſum eſſe jocularem, interrogatus in publico Colloqvio ab Hunnio *Tannerus* Jeſuita, an articulus Fidei ſit, qvod canem ſecum duxerit Tobias? reſpondit: maximè, maximè, maximè; Et addit, Hæreticum eſſe, qvi id neget. Qvi eſt blaſphemiæ plenus in re ſeria & ſancta luſus. Etenim articuli Fidei, talia Spiritus ſancti decreta ſunt, qvibus ſalus noſtra ſuperſtructa eſt Rom. x. v. 17. 1 Cor. 11. v. 4. 5. 1 Cor. III. v. 11. 12. Epheſ. II. v. 20. Qvi verò dixerit, ſalutem noſtram aut inceſtui Judæ, aut cani, qvem ſecum duxit Tobias, aut ſimilibus rebus ſuperſtructam: næ ille non tam impudens, qvàm inſanus dicendus. Univerſam qvidem hiſtoriam ſacram, qvalis à Dei ſpiritu per ſanctos Dei viros perſcripta eſt, agnoſcimus qvàm certiſſimam & veriſſi-

riſſimam: Sed qvi hôc nomine, maxima & minima, qvæ in codice ſacro extant, pro articulis fidei agnoverit, non tàm ridiculus, qvàm blaſphemus eſt. An enim horrenda certorum hominum flagitia, in codicem ſacrum relata & inibi perſcripta, pro articulis fidei admittemus & agnoſcemus? An res hujus ſeculi, etiam minimas, fidei articulis adnumerabimus? Hæcnè eſt fides illa, abſqve qva nemo Deo placere poteſt Heb. xi. v. 6.? Hæcne eſt fides illa, qvæ eſt ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων Hebr. xi. v. 1.? Rectiùs certè Jeſuitis cenſuit *Thomas Aqvinas*, qvi qvàm hîc ab ipſis abeat, clarè teſtantur, qvæ de hac re diſſerit IIda. 2dæ. qvæſt. 1. art. 6. reſp. ad 1. dubium p. 3. At enim infami nomenclaturâ opus eſt, ut non ſine gravi cauſſa damnari credantur. Horror incutiendus eſt, fulmineqve percellendi ſunt animi. Ita fit: nominibus & titulis odioſis imperitæ plebis odia excitantur. Iſtis pugnant hi homines armis, non rarò feliciùs & fortiùs qvàm validis rationibus. Stupet populus in titulis: Si opinioni alicui nomen tantùm hæreſos, olim damnatæ, præfigas, etiamſi cum ea nihil commune habeat; imò etiamſi non hæreſis, ſed ipſiſſima veritas ſit, ab ea, tanquàm à Gorgonis capite, refugit, ſolius nominis odiô. Nempè, vel puerorum inſtar larvis & μορμολυκείοις iſtis terretur: vel, ſi fortè contingat, opinionem aliqvam jure titulô hæreſeos damnatæ inſigniri, ſtultorum inſtar ab ea abhorret, non qvia falſa eſt, aut qvia falſam eam eſſe ſolidis rationibus perſvaſa eſt; ſed qvia illam, ut falſam, ab aliis damnatam eſſe audit. Et hinc natum eſt, qvòd videamus Doctores non paucos, qvia iſtis nominibus tam feliciter apud populum pugnari videant,

dent, ſi integræ hæreſeos nomen aut titulum affricare alicui neqveant, dimidiæ aut ſimihæreſeos nomine digladiari, tanto cum ſucceſſu, ut ad alienandos animos aliâ re opus ferè non habeant. Qvare non ab re auctore Adamô Blacvodæô, Regis in Curia Præſidiali, & urbis in Decurionum Collegio Conſiliario, lib. I. de Vinculo Religionis p. m. 119. ſ. edit: Auguſtoritenſis Picton. in 8t. (Opera enim ejus junctim edita, qvæ olim habui, nunc non ad manus ſunt) apud Pontificios *ita res habet, ut, qvi in hoc genere vel minimum peccat, omnium reus peragatur: & qvi vel levi argumentô à judicio Catholicæ religionis, & recto tramite deviârit, è Chriſtianorum cœtu exturbetur, nec jam Chriſtiani, ſed hæretici vocabulô cenſeatur. Cui hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune debet eſſe cum ceteris, ut nec aliis donare, nec alienâ liberalitate gaudere, nec contrahere, nec teſtari qveant: ſed tanqvam publici criminis damnati, principum conſtitutionibus ultimo ſupplicio traduntur. Et qvemadmodum in criminibus læſæ majeſtatis licet memoriam accuſare defuncti, ſic ubi qvis à recta catholicorum patrum fide ac diſciplina defecit, tali poſt mortem judicio ſe obnoxium præbet, ut nihil reliqvi fiat, in qvo vel ipſis etiam elementis fiat injuria.* Ita Blacvodæus ſatis acerbè. Nos ex oppoſito, ut hæreticos taceamus, ne infideles qvidem; utpote & ipſos homines, indignos, omni judicamus amore, qvin conſortiô communis humanitatis & Chriſtianâ commiſeratione nos ductos decet, nullam non adhibere induſtriam, ut in viam veritatis revocati æternô eripiantur exitiô. Graviter Roterodamus noſter Eraſmus librô III. Eccleſiaſtæ p. m. 517. elegantiſſimæ Frobenianæ Baſileen-

ſilcenſis editionis M. D. XLIV. in 8t. *Qviſqvis flagrat igni charitatis erga DEUM, non poteſt non ardere erga proximum, tot nominibus conjunctiſſimum. Sed eſt improbus, eſt hæreticus, eſt Judæus aut Paganus. Ama in eo, qvod homo eſt, qvòd ejuſdem gratiæ capax, qvâ tu donatus es. Ama vel hoſtem, ob hoc ipſum, qvòd ille juſſit, cui debes te ipſum.* Cumprimis verò ſummâ curâ cavendum eſt Magiſtratui, ne qvid ſubjectis ſuis credendum faciendumve ſub nomine & prætextu divinæ veritatis aut mandati obtrudat, qvod eidem potiùs directè & manifeſtè adverſari in conſcientiâ ſuâ perſvaſi ſunt: eo enim ipſo inducunt illos in periculum ſalutis æternæ, & dum contra conſcientiam facere aut credere aliqvid jubent, & ſibi pietatis opinionem detrahunt, & ipſis divini numinis metum excutiunt aut elevant. Hinc piè & cordatè B. Lutherus agens de erroribus Pontificiis part. II. art. Smalcald. art. IV. ſcribit nomine Proteſtantium: *Hoc nec volumus, nec debemus, nec poſſumus per conſcientiam noſtram approbare.* Qvod ſi itaqve præſentiſſimo periculo contemtus ea, qvam magiſtratus veram & Deo placentem judicat, religio ſubjaceat, relinqvantur diſſentientes ſuæ conſcientiæ, & ſalvis fortunis ſegreges habere cœtus permittantur, exiliiqve ſaltem beneficiô fruantur. Aut qvæ commodior & charitati convenientior via eſt, remittatur aliqvid de rigore & concedatur humanæ infirmitati, & ſecùs ſentientes, ita ut neqve tranqvillitatem publicam turbent, neqve incautioribus errorum ſemina allinant, tàm diu tolerentur, donec moniti meliora agnitis erroribus & veritatem pervideant, & in gremium verioris & purioris Eccleſiæ recipi ipſimet deſiderent. Hoc vult prudens & grave conſilium Augusti-

guſtini, qvod extat in præclara ep. L. ad Bonifacium ſub finem: *In hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliqvid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.* Nullo autem modò induci debet Chriſtianus Magiſtratus, ut ad religionem, à ſe pro verâ agnitam, violentis mediis ſive ſuos ſive alios adigat, cùm res religionis ita ſint comparatæ, ut non imperari ſed doceri & demonſtrari primùm intellectui, deinde verò, ubi ab intellectu pro veris habitæ fuerint, aſſenſu apprehendi, ac demùm voluntati, ut bonæ & ſalutares exiſtimatæ, amplectendæ proponi debeant, imò etiam, qvia ſupernaturales ſunt, gratiâ Spiritus S. ejuſdem generis & ſpeciali, in animis hominum perſvaderi, obfirmari & conſignari. *Alia qvippe omnia pro arbitrio civilis magiſtratus atqve adeò principis ſanciuntur, ſola religio non imperatur, ſed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratiâ benè præparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent; qvin obfirmant potiùs animos qvàm frangunt aut perſvadent*, ut præclarè ſcribit in aurea præfatione ad libros hiſtor. Thuanus. Fidei noſtræ hactenus is fructus fuit, ut non gladiô, non armis militiæ carnalibus, ſed potentiâ DEI, ſed virtute Spiritus verbum DEI propagandum cenſuerimus, 2. Cor. X. 4. Ita Gregorius Magnus librô II. Ep. LII. (in Jure Canon. Diſt. XLV. c. 1.) *Paſtores enim facti ſumus, non percuſſores: & egregius prædicator dicit: Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* (2. Tim. IV. 2.) *Nova verò & inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Unde laudatiſſimus Impe-
ratores

rator Maximilianus II. apud Goldaſtum, Tomô II. p. 400. ex Oratione funebri de D. Maximiliano II. Imp. Johannis Cratonis â Craſthaim Conſiliarii & Medici Cæſarei, clarè plurimis audientibus cùm Antiſtitem Olmuccenſem Gvilielmum adloqveretur, hoc profeſſus eſſe legitur: *nullum peccatum gravius eſſe, qvàm conſcientiis velle dominari.* Probè ſcilicet intelligens Magiſtratuum officium non eſſe, id præſtare debere, qvod ne Angelus qvidem poteſt, voluntatem ſcilicet ſeu cor hominis mutare, fidem accendere, & in animum influere: ſed DEUM hoc efficere per verbum, Magiſtratu externam præſtante directionem. Jam verò participes eſſe jubemur intempeſtivi fervoris, qvô religio non tam docetur, qvàm cogitur; qvô errantes non argumentis, ſed ferramentis, non acie Verbi, ſed ferri, non igne caritatis, ſed carnificis tolli â multis jubentur. Excuſet lanienam Parienſem *impudentiſſimus* (ut à Finckio noſtro vocatur Cent. I. Canon. n. 88. p. 177.) & *mendaciſſimus* (Cent. II. Can. n. 27. p. 19.) *luridus*, ut alibi ab illo adpellatur, Surius in Annalibus ad ann. CIƆ IƆ LXXXII, excuſent, depingant, vel imitentur etiam alii. Nobis ſacratiſſimi Cæſaris Maximiliani II. judicium placet, qvi ſummoperè iſtam exſeqvutionem improbavit, atqve ad malos potiùs Conſiliarios, qvàm ipſum ad regem, ab illis ſeductum, facinus hoc retulit in epiſtola ad Lazar. Schwendium annô CIƆ IƆ LXXIV. d. 22. Februar. *Magno cum dolore animi intellexi, Generum meum perſvaderi ſibi paſſum eſſe tam fœdam lanienam. Quamquàm ſcio magis alios imperare qvàm ipſum &c. Res pietatis gladiô non volunt dijudicari, neqve tractari &c. Aliud nos docuerunt Chriſtus & Apoſtoli ejus &c.*

§. II.

§. II. Sicut autem non levis apud illos error eſt in vocabulo Hæreticus, ita qvoqve non minus culpanda venit in illis Hæreticorum Converſio. Explicabo eam, ut fidem inveniat, non meis, ſed ê juſta defenſione Laymanni verbis, p. 129. *Qvod de Apoſtolis eorumqve ſucceſſoribus Monachis refertur, ipſos ſolô verbô & prædicatione, nullâ vi adhibitâ multitudinem populorum Chriſto adduxiſſe, id fatemur, & ſeqvuntur doctores Catholici, qvod attinet ad infidelium, ſeu qvi baptizati non ſunt, converſionem, ſed alia ratio eſt de hæreticis. Hi mandatis ac minis, etiam pænis reduci debent. Hîc optimus eſt hæreticos ad fidem Catholicam convertendi modus, per ſcil. (interprete Carafâ in Germ. reſtaur.) manum militarem pag. 212. armatam pag. 225. interdictum contractum pag. 218. matrimonii, permutationum, emptionum & contractus commerciorum, in eos qvi obſtinatè Catholicam Fidem rejiciunt. Proficeret hæc methodus in aliqvibus alicujus nominis Bohemis, qvi ut ad matrimonia honeſtiora pertingerent, aut filias ſuas elocarent gravioribus perſonis, Catholicam religionem admiſerunt. Magis profuit bonorum venditio, qvæ non niſi Catholicis vendebantur, & ſi fortè poſſeſſor, aut prævaricator ad Catholicam Religionem poſthabitô errore reverteretur, pœnarum & mulctarum imminutio. His enim legibus nonnulli, ut bona ſua ſervarent, & mulctam evaderent, Catholicam Religionem amplexi ſunt; ut vidimus in Bohemia, ubi tertia pars regni fiſco adjudicata, nonniſi ad Catholicorum manus pervenit, qvæ ratio politica rem Catholicam vehementer auxit.* Pergit Layman, pag. 128. *Niſi magiſtratus accedat auctoritas ac mandatum, vix poſſibile eſſe ut integrè aliqva, hæreſi infecta, civitas aut*

aut provincia ad fidem Catholicam reducatur, maximè ſi ſpes aut perſvaſio in vulgo ſit, hæreticæ Religionis exercitia denuo reſtitutum iri. Et ibid pag. 96. Hæreticorum magnam eſſe pertinaciam & difficilem converſionem; imo prorſus, ſecundùm ordinarium rerum curſum, impoſſibilem totius alicujus provinciæ, civitatis, aut communitatis ad fidem Catholicam ab hæreſi reductionem, dum miniſtri ac ſeductores hæretici manere ſinuntur. Unde ex Alphonſo Rodericio ſcribit Auctor anatomiæ p. 42. *caput inſtitutionis noſtræ eſt humana ſeu carnis prudentia, literæ, doctrinæ oſtentatio, unô verbô robur Brachii noſtri, intelligentiaqve naturalis & eloqventia: qvibus dum nos vaniſſimè jactamus, videt ex alto Deus, facitqve ut nihil proficiamus, nihilqve bonæ frugis producamus. Ex qva inſolentiſſima arrogatione illud ſeqvitur, ut NIHIL penitus ſolidi fructus, qvod utinam interdum non plus æqvô experiremur.* Vaniſſimô hinc popyſmô adblanditus eſt Ignatianis Florimundus Remondus in Synopſ. hiſtor. memor. part. II. c. IV. p. 20. *At vos, ſcribens, ô invicti & indefatigabiles Æacidæ, cœlitus vos miſſos credimus ut tam longo ac funeſto bello finem imponatis. Vobis ut à Mercurio olim Ulyſſi, divina illa herba moly à Deo data eſt, ut tantam miſerorum hominum à veneficâ illâ circe, hæreſi nimirum excantatorum & in beſtias tranſmutatorum multitudinem priſtinæ formæ reſtituatis, alioſqve qvos mali illius vis nondum attigit, præſervetis. A vobis, Duces fortiſſimi ultimus ille ictus Lernæo monſtro infligendus expectatur. In fatis nempe eſt, ut, ſicut Troja ſub Pyrrho, ſic ſub vobis hæreſis pereat atqve exſcindatur. Qvamvis autem merita veſtra & labores, non ut par eſt, ab omnibus accipiantur & compenſentur, ne tamen*

men ceſſate victorias veſtras perſeqvi, donec hoſtis planè proſtratus & devictus, in triumphum à vobis ducatur. Dignæ ſunt, qvæ hoc ſuper raro argumento legantur, Diſſertationes duæ, altera D. Caſpari Eraſmi Brochmandi de Hæreſi Haſniæ edita in 4to annô M. DC XXXVI: altera D. Ægidii Strauchii de priſcæ Eccleſiæ in cenſendis Hæreticis æqvitate, Wittebergæ habita annô M. DC. LXIII. Adde & Deſider. Herald. in Tertull. Apologetic. p. 177. & lib. II. Digreſſ. V. Salvian. Maſſilienſem de Gubernatione Dei lib. XV. p. 162. ſ. & in eum Conrad. Rittershuſium p. 153. Richard. Montacut. de Originib. part. II. p. 409. Rainold. Prælect. I. p. 3. 4. ſ. Theophil. Raynaudum libr. de corona aurea ſuper mitram Pontificis p. 423. Item de Eccleſ. bicipiti punctô IX. p. 130. Henr. Höpfnerum Lipſienſem Theologum Diſp. I. de Apoſtaſia Romanæ Eccleſiæ Theſi XII. & Hugon. Grotium II. de Jure Belli & Pac. c. XX. n. XLIX. L. p. m. 389. ſ. Legi qvoqve meret elegans Adami Theodori Siberi Profeſſoris olim eloqventiæ in Academia Wittebergenſi prima Voluminis II. Διαλέξεων Academicarum oratio de Hæretico non Hæretico. Juſtus Lipſius cùm Principi *ſuis in Politicis* (qvorum Francofurtanam editionem de annô CIↃ IↃ LXXXXI. in 8t. ob notas eximii Doctoris noſtri Paulli Tarnovii manuſcriptas margini additas ſervo, alioqvi non ignarus qvanti Boecleri facere debeam editionem, quâ melior non datur, ſi uſum ſpectes) præceptum hoc, *ure*, *ſeca* (diſſentientes ſcilicet â publicè recepta religione) dediſſet, concitavit in ſe Dialogiſtas, qvi eum acriter refutârunt. Emollire ergò non multo poſt ſuam iſtam ſententiam in aliqvibus ad familiares ſuos epiſtolis, & explicare eamdem, ſcriptô *de una Religione* ſingulari librô, coa-

 ctus

ctus eſt. Confer ejus Epiſt. XXXVIII. in ſex Decadib. Epiſtolar. Prætermiſſar, pag. 211. ſ. edit. Offenbacianæ cIↃ IↃ C X. in 8r.

§. III. Legi non ſine attentione, ut par eſt, aliqvot ante annos cum ceteris eruditis Salmaſii ſcriptis, Defenſionem ejus Regiam pro Carolo I. Annô M.DC.XLIX. in 12. & cIↃ IↃ C L. imò ſepties & amplius, impreſſam, offendiqve non pauca, qvæ me remorabantur. In p. 75. inqvit: *Parum prudenter urget hanc hiſtoriam* Sichardus, *ut probet Synedrium etiam judicâſſe de regibus. Qvod falſiſſimum eſt, nec probari poteſt.* Auctor enim non *Sichardus* ſed Wilhelmus Schickhardus Herrenbergâ Wirtembergicus, Lingvarum Orientalium & Matheſeos in Academia Tübingenſi Profeſſor eſt, cujus vitam habes apud Dn. Henningum Wittenium Decad. III. Memor. Philoſophor. Orator. &c. p. 367. Is c. II. Theor. VII. p. 60. de Jure Regio ſeqvutus Rabbi Moſen Maimonidem hanc fovet ſententiam, in qva & Grotius eſt in primo de Jure Belli & Pac. libro, c. III. n. XX. 2. p. m. 79. 80. edit. Hagenſ. M. DC. LXXX. in 8r. *Video*, inqvit, *conſentire Hebræos, Regi in eas leges, qvæ de officio Regis* (Deut. XVII. 17.) *ſcriptæ exſtabant peccanti inflicta verbera: ſed ea apud illos infamiâ carebant, & à rege in ſignum pænitentiæ ſponte ſuſpiciebantur,* (l. ſuſcipiebantur) *ideoqve non à lictore, ſed ab eo, qvem legiſſet ipſe, cædebatur, & ſuô arbitriô verberibus ſtatuebat modum; à pænis autem coactivis adeò liberi erant reges, ut etiam excalceationis lex, qvippe cum ignominia conjuncta, in ipſis ceſſaret. Hebræi Barnachmoni ſententia exſtat in dictis Rabbinorum, titulô de judicibus:* Nulla creatura judicat regem, ſed DEUS benedictus. Ita Grotius, rectius illius Hebræi verba vertens ac Salmaſius, qvi

in

in p. 83. ita reddit : *nulla creatura judicat regem niſi DEUS*, qvæ verſio qvàm mala ſit, illi ſciunt, qvi doctrinam Exceptivarum enunciationum callent, de qvibus aliqvid monuimus in parte I. noſtrarum Animadverſionum c. VI. §. IV. p. 95. ſ. ceterùm qvod ad ipſam Grotii ſententiam, de verberibus regi inflictis attinet, *veretur* non ab re Doctiſſ. Dn. Joh. Frid. Gronovius in notis hunc in locum p. 46. b. *ne ſit ſomnium Talmudicum*. Demonſtravit id jam pridem vir illuſtris Joh. Chriſtoph. Wagenſeil in ſtudio Talmudico & Rabbinico confeſſione omnium nemini ſecundus hodiè. Negat & Samuel Petitus in Diatriba de Jure, Principum edictis, Eccleſiæ qvæſito, nec armis adverſus temerantes aut antiqvantes vindicato, Amſtelodami apud Ludovicum Elzevirium CIↃ IↃ CXLIX. in 8 edita, c. II. p. m. 16. inqviens : *Dabo pignus in omnes meas fortunas, ſi vel verbô jus iſtud afferatur, ſed contrarium planè illis qvæſitum eſt DEO auctore in Saulis inauguratione apud Samuelem, & conſtat ex hiſtoria, Legibus ſolutum fuiſſe Principem* ἤγουν ἁμαρτήσαντα οὐ κολάζεσθαι, qvamvis deliqviſſet pœnæ non fuiſſe obnoxium : *ut illud Æſchyli de Jove, Principi verè accommodes*, τραχὺς μόναρχος οὐδ᾽ ὑπεύθυνος κρατεῖ, Durus Monarcha & nemini ſubditus imperat. *Non igitur in jus vocabatur, nec item armis oppugnabatur, utcumqve à Judaïcis inſtitutis deſciviſſet, & in pios perſecutionem feciſſet: in eo namqve judicium Dei ſuſpiciebant, qvi præfeciſſet, id in eo ſciebant eſſe, qvod Deus voluiſſet: itaqve nunqvam in Regem ſitum religionis obtentu arma moviſſe in ſacra legitur hiſtoria.* Adde & Selden. lib. II. c. IX. n. VII. p. 263. & l. III. c. IX. n. V. p. 70. 71. edit. Amſtelæd. 1679. de Jure Synedrii. Boeclerus explicans hunc Grotii locum

in p. 258. ait: *Salmaſius in defenſione Regia, παμ-βασιλείαν in Regibus Hebræis agnoſcit. Sed ei in hoc genere literarum non poſſumus multum tribuere.* Confer & Joh. Marſhami Angli, Eqvitis aurati, Canonem Chronicum Seculô XIII. p. m. 340. ſ. edit. non ſpernendæ Lipſienſis M. DC. LXXVI. in 4to.

§. IV. In pagina defenſionis Regiæ 98. idem ille Salmaſius ita ſcripſit: *Conſules Romani & Sufetes Pœni annui Magiſtratus erant, Sufes Hebræorum per totum vitæ tempus imperium habebat, qvô propius ad regiam dignitatem & poteſtatem accedebat, & qvia unus fuit, & qvia, qvoad viveret, principatum obtinuit. Non reges fuiſſe re*, Ne qvidem nomine, *liqvet ex lib. Judicum c. VIII.* &c. In pagina verò antecedente 97. ille ipſe auctor iſta qvi litteris commiſit, reliqvit & hæc ſemetipſum contemnens. *A Moſe uſqve ad illud tempus, ſub Judicum, ſive Sufetum imperio populus fuit. Iſti Sufetes etiam duces erant; qvi principatum in populo tenebant, ſummi magiſtratus inſtar,* non *tamen* cum regia appellatione *& poteſtate. In hoc munere & officio Moſi ſucceſſêre, & non plures qvàm ſinguli, & qvoad viverent. Primus Jeſu Nave Moſi ſucceſſor fuit, deinde cæteri uſqve ad filios Samuelis, qvi ambo, quaſi duo conſules populum regebant, cùm omnes; qvi ante ipſos eum magiſtratum geſſêre, ſinguli fuiſſent. Exercitus ducebant, jus reddebant, omnia pro imperio agebant, & parum aberant à regio.* Reges *etiam* NB. in ſcriptura dicti. Et p. 327. *Judices Hebræorum meliori jure reges appellari potuerunt, qvi & ſinguli fuêre, & æqvale vitæ ſuô ſpatiô imperium obtinebant.* Scriptura NB. *qvoqve ſacra* reges *eos* vocat, *cùm dicit in libro, qvi ab*

ab his nomen habet, c. XVIII. 1. (potuiſſet & addere loca è c. XVII. 6. XXI 25.) In illis diebus regem non fuiſſe in Iſraël. Qvod & p. 498. repetit. *Judices qvoqve qvos ante habuerant, ab hoc ipſo Juris dicendi munere dicti ſunt, cùm tamen & duces eſſent, atque ita etiam appellarentur, ab exercitibus ducendis & bello gerendo.* Hos, *etiam* reges ſcriptura nominat, *ut & ipſum Moſen, cui ſucceſſêre.* Similia qvoqve deprehendi in Salmaſii tractatu de Primatu Papæ Heidelb. CIƆ IƆ C VIII. & Lugd. Batav. CIƆ IƆ CXLV. evulgato. *Nunqvam*, ait eruditus auctor (W. Goeſius) in præfatione Animadverſionum in qvædam capitis primi & II. Speciminis Salmaſiani, Hagæ M.DC. LVII. in 8t. editarum, *mihi reſponderit abundè, qvi juſtam adverſariis ſe ſe refutandi reliqverit materiam, ut Salmaſius non relinqvere plerumqve non ſolet. Qvod & plurimorum ſcriptis, qvæ publici juris ſunt, probari poteſt. Tàm enim cùm eſſet audax, ut vellet de omnibus diſſerere & diſputare, cúmqve philautiâ & ambitione eſſet tam cœcus ut idem ſe poſſe exiſtimaret, non mirum ſi ab illo plurima ſint commiſſa, quæ æqvus Cenſor notet. Præcipuè cum uno ſcribendi impetu totos calamô libros effunderet, & vix effuſos protruderet in publicum. Unde factum, ut qvæ tempore & liturâ coërceri noluerit auctor, notari & refelli ab illis debuerint, qvi majorem veritatis qvàm Salmaſii rationem habendam putârent.* Et poſtea: *Qvàm in Patrum ſcriptis fuerit peregrinus, inde apparet, qvòd in poſterioribus libris, qvibus aliqvam eorum adfectat notitiam, paſſim eos perperam citet, & Auguſtinum nominet pro Lanfranco & Fulgentio, Hilarium pro Ambroſio, Ambroſium pro Hilario, Cyprianum pro Arnoldo Abbate de bona Valle. Imò tanta in his fuit*

imperitiæ, ut Prudentium ſextô vixiſſe ſeculô ſcripſerit; multaqve prætereà ediderit ignorantiæ ſuæ circa hos auctores documenta.

§. V. In p. 106. dictæ ſæpiùs Defenſionis, *certè*, inqvit Salmaſius, *Salomon regnum ſuum à cæde fratris natu majoris auſpicatus eſt, qvi patre connivente regnare cœperat. Non juſtiore titulô Joabum inter ipſum DEI tabernaculum, manibus apprehenſum cornu altaris tenentem, interfici juſſit.* Et p. 171. *Salomon ejus filius qvi ſapiens audiit vulgò, nihil dignum eâ ſapientiâ fecit, cùm ad impietatem & idololatriam in fine vitæ à mulieribus ſuis inductus deflexit, cùm fratrem natu majorem & mox Joabum in tabernaculo DEI cornu altaris tenentem interfici mandavit, parricidii & ſacrilegii ſcelere commaculatus.* Item p. 342. *De parricidio Salomon oſtendet, parricidam impunè regem eſſe, & cum tali reatu regem manere.* Corrigenda hæc ſunt. Enimverò perduellis erat Adonias, neqve enim ferebat mos Hebræorum, ut regum ſive conjuges, ſive pellices viduæ jungerentur privato. Docet Vatablus in notis in 1. Reg. II 22. *Hebræi,* inqvit, *ajunt, nemini licere tangere mulierem, quæ cum rege concubuiſſet, niſi rex eſſet.* Docet Schickhardus in libro de Jure Regio Hebræorum p. 174. ſ. Hanc ergo cupiens Adonias, jus regni ad ſe pertinere novis molitionibus oſtendere vult, tentatqve Salomonis animum, ut ſi metu juvenili hoc ei conceſſiſſet, auderet mox majora. Mulierem autem aggreditur, ut regnandi ignaram, ita amoribus facilem. Notant R. D. Kimchi Comment. in h. l. & Theodoretus Qvæſt. VII. Igitur tale facinus condignum merebatur ſupplicium. Adoniam Regis gratia ſemel abſolverat, atqvi redibat ille ad vomitum, petendô Abiſagam conjugem, ut novas

dare

dare reginæ maritus turbas poſſet, eodemqve pertinent manifeſta vel verba ejus coram Bathſeba matre regina prolata 1. Reg. II. 15. Nec improbat ſcriptura factum Regis, cùm Pontificis iniqvam conſpirationem adverſus regem damnat. v. 22.

§. VI. In p. 112. Defenſionis *Petrus Apoſtolicæ Coronæ princeps* audit. In p. 113. & 143. 181. adducuntur Ambroſii commentarii in Epiſtolas Paulli, qvi tamen Ambroſio ſuppoſiti à multis cenſentur. Unde & Franc. Lucas Brugenſis plerumqve auctorem illorum *Ambroſiaſtrum* adpellat, ad Gal. III. 1. 1. Timoth. II. 6. 2. Timoth. II. 25. Tit. I. 8. & putat *Hilarium Diaconum exiſtimari auctorem commentariorum Ambroſium mentientium*; in Rom. II. 15. Joh. Maldonatus Sapharenſis Jeſuita ad Matth. XIX. 9. p. m. 398. Edit. Lutetianæ M. DC. XXIX (nam recentior Lutetiæ annô CIↃ IↃ C LI. impreſſa nunc non eſt ad manus) Remigium Lugdunenſem eorum auctorem eſſe dicit, addens: *nam eos commentarios Ambroſii non eſſe, qui & illos, & Ambroſii legit ſcripta, dubitare non poteſt.* Lovanienſes in Cenſura in Auguſtin. atqve Antonius Poſſevinus in Adparatu credendum eſſe ajunt, *ejus Commentarii eumdem eſſe auctorem, qvi eſt libb. Qvæſtionum Vet. & Nov. Teſtam.* Alfonſ. Salmeron agnoſcit Comment. in Epiſtolas Paulli Diſp XIX. ea non eſſe Ambroſio adſcribenda; ejus non proprium, ſed ſpurium & nothum fœtum, illiqve falſò adſcriptum. Cæſar Cardin. Baronius V. Annal. ad annum CCCXCVII. n. 38. fatetur, *expoſitioni Ambroſii jam Caſſiodori tempore deperditæ alterius autoris opus fuiſſe ſuppoſitum.* Deniqve Robertus Cardinalis Bellarminus multoties indicat, hæc Commentaria *non eſſe Ambroſii.* (Vide ipſum de Euchariſt. lib. II. c. XIV. de Clericis lib. I.

c. XV. de Chriſto lib. I. c. VI. de Gratia & Libero Arb. l. II. c. XIV.) Sed *nec alicujus ex celebratis patribus* de Matrimon. lib. I. c. XVII. In p. 141. producit Salmaſius Athanaſii Sermonem de Cruce & Paſſione Domini, qvem tamen in Epiſtola nuncupatoria Petrus Nannius Collegii Buſlidiani apud Lovanienſes Profeſſor ſuppoſititium pronunciat non abs re, qvippe in qvo crux Chriſti vocatur crux beata & vivifica, triumphatrix mortis, diaboli profligatrix, gloria & honor Chriſti. Verba, qvibus Salmaſius in p. 143. utitur, excutienda relinqvo Theologis. *Qvaſi ſcilicet ſub veteri fœdere remiſſio peccatorum, qvam ad vitam æternam adipiſcendam ſolus ſangvis Chriſti in Novo Teſtamento nobis acqviſivit, locum tunc habuerit, cùm David DEO confitebatur, ei ſoli ſe peccaviſſe. Hæc tam putida ſunt & inſulſa & falſa, ut mirer proficiſci potuiſſe à ſummi Theologi & paſtoris diſcipulo.* At, tempora ſunt patribus non variata fides. Tu vide Actuum IV. 12. X. 43. XV. 11. Rom. III. 22. 24. 25. 26. Apoc. XIII. 8. qvæ hîc examinare nihil attinet. Evicit hoc pluribus B. Calovius in Sociniſmo Profligato p. m. 328. ſ. Wittenb. M. DC. LXVIII. in 4to. & in Synopſi Controverſiar. juxta Auguſtan. Confeſſ. Diſp. XVI. §. 111. p. m. 118. ſ. In p. 151. malè ſcribitur *Otto Frinſingenſis* pro *Friſingenſis*, qvi Conradi qvidem Svevi, ſed imprimis tamen ætate Frederici Barbaroſſæ, de cujus geſtis duos qvoqve libros ſcripſit, florebat. Annô ſalutis CIↃCXXXVIII. ab uterino fratre, Conrado III Imperat. Friſingenſi Epiſcopatui, tum temporis vacanti, præfectus fuit. Eſt autem Friſinga in Noricis, ſive Bavaria, ne Æneæ Sylvio credas, qvi, ſimilitudine vocum deceptus Othonem Friſienſem, ſeu

Fri-

Friſium fuiſſe putavit. Sed ſufficiant hæc eo de argumento in præſentia, ne de eodem plura enumerando fatigemus lectores. Alibi fortè plura adferemus. Notum eſt viri non ineruditi judicium: *Miltonum ſic peſſimam cauſſam egiſſe benè, ut Salmaſius optimam malè egerit.* Eſt tamen illius defenſio Londini in foro publico per carnificem combuſta. Facit huc Alexandri Mori Fides publica, Georgii Kackewillii Scutum Regium; Gvil. Urſini de Rivo Vindiciæ pro Capite Regis Angliæ contra Rebelles Parricidas. Commendant Caſpari Ziegleri Lipſienſis circa Regicidium Anglorum Exercitationes; qvibus acceſſit Jacobi Schalleri S. Theol. Doctoris & Philoſophiæ practicæ Profeſſoris Argentoratenſis, viri exqviſitæ & reconditæ eruditionis Diſſertatio non vana ad qvædam loca Miltoni. Lugd. Batav. CIↃ IↃ CLIII. in 12. Adde B. Joh. Meiſneri Vindicationem Articuli V. Auguſtanæ Confeſſionis p. 6. ſ. §. VII. edit. Witteberg. M. DC. L. in 4to. qvam, ſicut & cetera hujus viri ſelectæ admodum & raræ eruditionis, legiſſe non pœnitebit. Item peregregium Henningi Arniſæi libellum de Auctorit. Princip. in pop. ſemper inviolabili. Leguntur & Cromwelli Epiſtolæ, qvas itidem Miltonus compoſuit; Jo. Philippi Angli Reſponſio ad Apologiam pro Rege & Populo Anglicano; Wilhelmi Sanderſonii Hiſtoria vitæ & regni Caroli; Philippi Zæſii conculcata ac in avitum ſolium poſtliminio collocata majeſtas: Jo. Rushworthii Belli Civilis Hiſtoria; Jo. Nalſonii collectio arduorum negotiorum Status Angliæ; Gvil. Dugdalii conſpectus nuperorum Angliæ motuum, Innocentia & εἰκὼν βασιλικὴ Caroli Regis; Tragicum Theatrum Actorum & Caſuum Tragicorum; Seſqviſeculum Anglicanum ab initio regiminis

Henrici VIII, incipiens, & in Regis Caroli I. cæde finiens, cujus libelli auctor creditur Jac. Thomaſius; Monumenta rerum Anglicarum, & hujus generis alia. Qvæ tamen omnia & ſingula probè dijudicanda ſunt; qvoniam pleriqve ſuis indulgent affectibus, aliis nempe Regis, aliis Populi, nonnullis etiam neutrius partis cauſſam tuentibus. Nam qvi Regis ſtudent partibus, rem multò narrant aliter, qvàm qvi vel Cromwello favent, vel qvi, utriuſqve tædiô, addictiores ſunt populo. Habemus Regis Caroli, habemus Cromwelli vitas, à Gvilielmo Winſtamleo Anglicô ſermone deſcriptas. Habemus item jam dicti Cromwelli vitam lingvâ Germanicâ conſcriptam, & Norimbergæ evulgatam. Habemus duos Panegyricos ejuſdem honori dicatos. Habemus porrò ſcriptum qvoddam, ex Anglico in Germanicum converſum. Eſt & alius qvidam, cui nomen Carringtonio, Cromvelliani nominis ſtudioſiſſimus, qvi hiſtoriam vitæ & mortis Oliverii, inde à nativitate ad ſepulchrum ejus contextam, filioqve ipſius inſcriptam, edidit. Et ut in Salmaſio, à qvo incepi, deſinam, eſt non contemnenda in eum contra parricidium Anglicum ſcribentem Satyra Mannejana ſcripta, qvàm legiſſe non pœnitebit.

§. VII. Nactus ſum non ita pridem Defenſionis Regiæ Salmaſii codicem, cujus marginibus manu ſuâ vir litteratus qvidam & celebris ea adleverat, qvæ putaret in ſtylo Salmaſiano minus rectè ſe habere. Statim in Principio præfationis; *Horribilis nuper nuntius aures noſtras atroci vulnere, ſed magis mentes, perculit, de parricidio apud Anglos* in perſona *Regis ſacrilegorum hominum nefariâ conſpiratione* admiſſo: notat participium *admiſſo* jungi præpoſitioni *in* ſexto

cum

cum caſu *perſonâ* pro *perſonam* qvod & vir doctus advertit in p. 80. his in Salmaſii verbis: *Cùm Herodes poſtularetur apud Antonium, â quo precarium obtinuerat regnum, cædis* in Ariſtobulo commiſſæ; pro *in Ariſtobulum.* Neqve ego eo inficias, ſtructuram hanc accuſandi cum caſu verborum *admittere & committere* hac in ſignificatione admodùm uſitatam eſſe: apud Juſtinum tamen XV. II. 4. ſimilem Salmaſianæ invenio conſtrùctionem: *Quaſi parum facinoris in ipſo primùm rege, mox in matre ejus Olympiade, ac filio admiſiſſet.* In p 8. præfationis non placet ipſi: *Illi ipſi ſunt, qvi Epiſcopos primò, deinde & Optimates è Senatu* extorres dederunt, *mox & regem è regno & vita.* Scio Sveton. Aug. XII. 3. aliter: *Nurſinos extorres oppidô egit.* Sic & in p. 13. *At idem* Manios *aliqvos, terræ filios, vix domi nobiles, vix ſuis notos, licere ſibi credidiſſe, qvis ferat?* Et in p. 34. *Ex qvo Chriſtus meliore doctrinâ imbuit ſuos, & mitiores ſanctioreſqve mores mentibus eorum* induit, *nemo* &c. Item in p. 55. *Ea eſt harum peſſium doctrina, ut etiam audeant affirmare, ſe ſolos ſapere & rectè ſentire, ſe ſolos eſſe puros & ſanctos, ſe* DEO volentia *facere præceptiſqve ejus conſentanea.* In p. 142. *Quæramus igitur ex Ambroſio, Auguſtino & Hieronymo, an propriam ſibi ſemitam fecerint, derelictâ illâ viâ latâ & regali, qvam munivit Chriſtus, qvam poſt eum Apoſtoli* deſabulaverunt, *qvamqve omnes deinceps Eccleſiæ Antiſtites Græci, Latini & Africani calcaverunt.* In p. 288. *Pro Parlamento caligatam Curiam compoſuerunt, cui præſident Duces* Bardaici, *iidemqve Angliæ tyranni.* In p. 289. *Talis eſt hodiernus Anglicanus, novâ formâ procuſus, & novâ* monetâ *percuſſus, cuiqve ſimilem nulla unqvam ſecula* vide-

viderunt. In p.554. *Tyrannidis in regno affectores,* In p. 579. *Ex Hollandia porrò in Angliam veterem regirarunt.* Hæc uti manu viri docti ejus olim, nunc meo codici adſcripta reperi, ita edidi, cuncta nec albô, nec nigrô notans lapillô, lectori potiùs judicium relinqvens, in cujus gratiam hæc exſcripſi, num uni aut alteri fortè uſui eſſe qveant, eâ fini non ſine detrimento rei familiaris meæ perqviſivi & inveſtigavi multos doctiſſimorum virorum Codices & MSSa. Incido hîc in eorum mentionem, qvæ Auctor paullò antè dictus Animadverſionum in qvædam capitis I. & II. Speciminis Salmaſiani præfatus eſt) (4. *In eruditione Salmaſii qvid eſt tantopere admiratione dignum? Si puritationem* (lege *puritatem*) *Latini ſermonis & ſtyli elegantiam ſpectes, annon una* Scaligeri, *Mureti vel Baudii* (miror prætermiſſum Heinſium, Cunæum, Grotium & Buchnerum) *pagina plus nitoris habet, qvàm omnia omnino ejus, qvæ ſcripſit volumina. Qvod ſi autem animum intendas in obſervationes & rerum pondera, infinitô intervallô infra Turnebum, Lipſium, Voſſium pluresqve alios eum conſiſtere ſtatim deprehendes, ſi æqvâ lance ſua ab alienis, vera à falſis diſcreveris.* Et p 81. *Ecce proditurum tuum elogium prædicimus, qvô demonſtrabitur qvanta ſolœciſmorum & ſordidorum verborum in ſcriptis tuis extet ſeges, qvàm abjectô & nihilô utaris ſtylô; qvantum ſe chaos indigeſtaqve moles oſtentet unoqvoqve tuorum librô; qvàm nugacibus & falſis ſcripta tua miſceas obſervationibus: qvoties tibi ipſi adverſeris, eaqve qvæ ſtatueras priùs, deſtruas poſtea: deniqve addetur etiam, odia qvàm ingentia qvàmqve injuſta exercueris cum viris optimis & eruditiſſimis, qvàm atrociter in vivorum pariter & mortuorum famam fueris graſ-*

ſatus

ſatus & horum & illorum pariter tortor & carnifex.

§. VIII. Qvandoqvidem verò in primæ noſtrarum Animadverſionum partis ſecundo capite §. V. p, 22. ſ. CL. Salmaſii judicium de H. Grotio & comparationem ejuſdem Grotii cum Voſſio vidimus, placet in præſentia ſententiam Boecleri de Salmaſio adponere, qvomodoqve illum componat cum Grotio. Do verba ejus ê Muſæo, libro rariſſimo, Argentorati impreſſo CIↃ IↃCLXXII. in 8t. *De Salmaſii libro* inqvit p. 41. ſ. *pro rege adverſus parricidas ſcripto, erant, qvi curioſiùs ſibi qværendum putarent. Nemo qvidem de Miltono aliter ac ante demonſtravimus, ſentiendum, aut cum aliis inimicis Salmaſii id incuſandum judicabat, qvòd in argumento ſublimi vocem non ſuſtuliſſet altiùs, & majore ſpiritu ac contentione cauſſam egiſſet. Alia erant, qvæ deſiderabantur, major præſertim rerum civilium peritia, perſpicua & dilucida cum gravitate expoſitio, omiſſâ verboſâ ſimulatione doctrinæ, deniqve ordo qvidam, & in ordine modus, & in utroqve conſtantia. Tale enim videbatur hoc opus, ut nec antiqvitatis exemplum referret, nec limatis noſtræ ætatis judiciis ſatisfaceret. Ipſi ſibi documento eſſe poteſt Salmaſius, inqviebat nonnemo, non idem eſſe vetuſtatis memoriam illuſtrare literis, & reipublicæ ac ſeculi ſui cauſſam tueri ſapientiâ. Solebat ille Grotii inſigne de jure belli & pacis opus ſatis arroganter aſpernari, & ad omnem civilis diſciplinæ mentionem tantum non nauſeare. Qvis hoc ferat in eo, qvi in univerſa de jure regum diſputatione pleraque rationum momenta tam diligenter à Grotio mutuatur, ut fruſtra nomen diſſimulaverit? niſi qvod diverſus à ſuo auctore ſæpius eſt, dum transferendo, qvæ accepit, deteriora*

riora facit, & invitis Muſis ac Apolline immutat. Qvàm enim importuna & craſſa, nullôqve eruditô homine, nedum Grotiô, digna ſunt, qvæ de jure licentia, ut appellitat, philoſophatur? Tantum abeſt, ut intellexerit, qvæ viri civiles de poteſtate regum nulli humano judicio obnoxia; graviter, caſtè, & exqviſitâ cautione adhibitâ tradiderunt, ut iſta omnia ultro impudentiâ ſermonum & verborum inſolentiâ corrumperet, & ſacro ſancta imperii pignora profanaret. Nihil intereſt ſcilicet extemporalibus his philoſophis inter iſta, ſi dicas: Qvi jure & nomine regiô eſt, non habet, niſi DEUM judicem; &, eôdem jure continetur poteſtas flagitiorum omnium ac ſcelerum. At verò aliter catuli olent, aliter ſues; diceret ipſe Salmaſius, cui valde ſcilicet id verbi ad irridendos homines probatur. Jam de jurejurando regum, qvos ille ludos facit? qvàm religionis nihil, nihil pudoris in illa diſputatione? qvis de re omnium graviſſima tam diſſolutè unqvam ſermocinatus eſt? Atqve dum nihil aliis debere, omnia ſuis auſpiciis eruere vult videri, feſtivè ſcilicet ac penè ridiculè furti ſe alligat. Dixerat Grotius; ſed lapſus per errorem, conſentire Hebræos: regi peccanti inflicta verbera, ſed citra infamiam, & qvibus ille ſuâ ſponte ſe ſubmitteret, eligeretqve, à qvo cæderetur, modumqve verberibus ſuô arbitriô ſtatueret. Argo plus videat oportet, cui hæc ſe apud Hebræos reqvirenti offerant. Salmaſio tamen in lucem res occultas proferre ſolito, hæc ultro obvia veluti de medio arripiuntur qvô auctore? qvem palam aſpernatur ſilentiô præteritum, clanculum veneratur, ut dignum, cujus fide rem alio ore indictam, eademqve opera irrefragabile ſuæ auctoritatis pondus, fundari vellet. Qvantò mihi ut modeſtiores ſic pruden-

tiores videntur, qvi Salmaſiô judice volitant ut umbræ, cùm res non ingenii, non eruditionis ſuæ, unde acceperint, fatentur: alienáqve pro ſuis afferre, aut per ſe definire, qvæ debentur aliis, religioni habent. Ita enim nec gloriæ aliorum obtrectare, nec erroris alieni invidiam ſibi ſuô jumentô accire contendunt. De jure regio Hebræorum qvid affert Salmaſius, niſi ex doctiſſimo Schikardo, etiam cùm non nominat? tam fideliter ſcilicet, ut errorem nominum, & ſi qvid in verbis aut interpretatione diſcrepat, retineat aut tranſſcribat. Ad hiſtoriam rerum Britannicarum ubi perventum eſt, qvâ in jure regum & ſcelere parricidarum demonſtrando unicè opus erat, qvàm eſt jejunus, & ignarus actorum temporumqve, heros ille noſter? Niſi credidiſſet, in uno nomine ſuo, & doctrinæ & auctoritatis eſſe ſatis, veniſſet profectò ad rem tantam paratior & inſtructior. Hæc oratio facilè omnium judiciô probata, etiam amicos Salmaſii perpulit, ut diſſimulari à ſe magis iſta, qvàm ignorari faterentur; à Miltono tamen aliqvo, aut ſemidoctis hominibus rem à vulgari intelligentia remotam agitari poſſe negarent. Nec defuit in concilio, qvi alium regiæ cauſſæ patronum, publica civiliter, gravia magnificè tractaturum, optaret. Qvamqvàm enim nonnulla ſpes ſuberat, fore ut Miltoni conatus impios refutaret Salmaſius ac retunderet, eademqve opera, qvæ cauſſæ tam bonæ ornandæ ſunt, ſuppleret: ſuæ tamen potius conſvetudini cuidam, qvàm dignitati argumenti, qvotieſcunqve reſumeret ſtilum, ſatis facturum eſſe eum, erant plures, qvi putarent. Modeſtus non parum his perculſus, qvæ de Salmaſio audierat, ex patrono ſtudiorum ſuorum verecundè domi ſciſcitari cœpit, qvô potuiſſet fatô fieri, ut vir in tantum doctus, in qvantum do-

ctri-

ctrinam intelligunt homines, totiens in rebus civilibus ſalleretur? Tum ille, Facis, inqvit, qvod ætatem tuam & virtutis indolem decet, cùm viros eruditorum principes tantum & vereri & diligere ſtudes, ut erratis eorum leviter notatis, commoveri ac ingemiſcere videaris. Eſt in Salmaſio magna vis ingenii, eſt longè latéqve diffuſa laus ſcientiæ, ſunt exqviſitæ etiam ac recondita literæ. Addam huc, vix unum & alterum hôc ævô variæ eruditionis copiâ ipſi comparari poſſe. Non tamen putare debes, Modeſte, unum aliqvem, qvantumvis licet excellentem hominem, cuncta poſſe ſuâ ſcientiâ complecti. Non dicam, qvàm infeliciter cum Jureconſultis de legibus diſputaverit. Diatribæ ejus de annis climactericis & aſtrologia antiqva, meram rerum mathematicarum inſcitiam produnt, atqve adeo temeritatem arrogantis animi arguunt, qvi non dubitaverit in alienam meſſem falcem immittere. Qvamqvàm non minus importunitatis & audaciæ oſtendit, cùm in ſuo campo decurrit. Qvotiens in antiqvis ſcriptoribus recta depravat, ſana exſecat, vera immutat, deniqve

Diruit, ædificat, mutat qvadrata rotundis?

Neqve crebrior eum huc impellit cauſſa, qvàm diſſentiendi libido, & contendendi pervicacia. At enim redimit iſta vitia magnis laudibus? Ita futurum erat, niſi mirâ non minùs ſuperbiâ, qvàm malignitate & livore in omne genus eruditorum graſſari adortus, amicis admonentibus inimicitias denunciaret, alienis laudibus ut ad diminutionem ſuæ gloriæ pertinentibus impotenter obtrectaret, & maledictis innoxios figens, etiam mitiſſimorum ingenia irritaret. Nolim ſanè apud eorum aures iſta jactari, qvi ad veram eruditionem nunqvam perventuri ſunt: alias illi res agant, ſvadeo.

ſuadeo. Tibi autem ex hoc meo ſermone nec reverentia decedet adverſus merita Salmaſii & multum ad cautionem & diligentiam in tractandis literis accedet. Civilium qvoqve ſtudiorum: qvæ tibi tantopere cordi ſunt, Modeſte, qvæ ſit ratio, vel hinc moneri potes. Præclarè ſine dubio ſentiunt, qvi antiqvitate magiſtrâ totam hanc diſciplinam volunt niti. Qvid enim eſt, qvod Poëtæ, Oratores, Philoſophi, Hiſtorici veteres non & viderint acutiùs, & ornatiùs diſſeruerint? Verùm non omnes, qvi eos libros verſant, ad prudentiam & artes civiles animum referre, ſed ſuâ qvemqve voluptate trahi; jam olim Seneca animadvertit. Perſpicit intentiore curâ Grotius aliqvis, qvæ Salmaſii præter oculos tranſmittantur. Hactenus Boeclerus. Adde omnino eruditiſſimam maximi noſtri Joh. Frider. Gronovii epiſtolam ad Anton. Clementium incomparabili ejus operi de Seſtertiis inſertam p. m. 679. ſ. edit. noviſſim. Lugdun. Batav. 1691. in 4to. Octavio Ferrario in præfat. partis II. de re veſtiaria edit. Patavinæ M. DC. LIV. in 4to. Salmaſius *vir eſt in omni literarum genere eminentiſſimus. Sed quæſitâ meritis ſuperbiâ immodicus ſui æſtimator, aliorum contemptor, omniſqve ſententiæ, cujus ipſe auctor non eſſet, inimicus. Itaqve dum à ſe vel petitâ veniâ & cum honore diſſentientes traducit, & carpit, rurſuſqve æqvô jure revincitur, totâqve vitâ hunc funem contentionis ducens aut pulſatur; aut verberat, malè dicendo, & quod conſeqvitur malè audiendo, ſenex factus in ipſo opere recriminandi conſumptus eſt.*

§. IX. Adſervavi hactenus MStam qvandam Cl. Salmaſii epiſtolam, qvam, ne intercidat, in præſenti foras do. *Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, Longioris in*

 Gal-

Gallia, id eſt in patria mea, moræ qvàm temporis à me poſtulati, & à vobis conceſſi ratio ferebat, mihi conſcius, vereor etiam ne apud vos ſim reus. Qvod ne fiat, debere videor cauſas aperire tam diutinæ abſentiæ meæ & qvidem tales, ut niſi eas vobis approbaturus ſim, fatendum mihi ſit, jure vos poſſe, qva cauſa eſt ſontica, culpam meam interpretari, ac ſuſpicari, mihi excidiſſe animum ad vos redeundi, & animô effluxiſſe tot promiſſa conceptis verbis & ſollemnibus toties vobis ſuper reditu meo data. Si culpa porro eſt, non voluntatis eam eſſe, ſed incidentium præter ſpem votumqve ex tranſverſo negotiorum, ita velim perſvaſum habeatis, ut nihil adæqve verum perſvaderi unqvam poſſe, certus ſum. Nec eſtis docendi qvàm improviſa multa in vitam hominum incurrant, qvæ opinionem eorum tum fallere ſæpè ſoleant, tum propoſitum fruſtrari. Cujus ſententiæ exemplum, ſi non aliunde paſſim ſuppeteret, res meæ vel unicum poſſent ſuppeditare. His peragendis cùm trimeſtre tempus ſufficere poſſe ſperarem, vix bienniô hôc vertente abſolutas eas cum meo magno damno ac dolore video. Si totum iſtud tempus ſolis domeſticis negotiis, propter qvæ in Galliam veni, expediendis impenſum fuiſſet, non de reditu ad vos nunc cogitare cogerer, ſed pridem veſter eſſem. Sciunt amici, & in his proceres multi, cùm octonos ſolos dies iis in tranſitu Lutetiæ ſalutandis deſtinâſſem, coactum me ſeptem integros menſes in ea urbe conterere. Nec iidem ignorant, per qvos factum ſit, ut tandem ibi ſubſtiterim. Nec me pœnitet hôc temporis ſpatiô potuiſſe libertatem redimere, qvæ vel longioris pretio non caræ præſtinata videretur, qvam vix impetrâſſet mollior animus & contra Seculi blanditias minus refractarius. Præter patriæ dulcedi-

dinem alia accedebant irritamenta manendi, quæ menti ad commoda humana reſpicienti poterant facilè ingenerare reditûs oblivionem. Nec de Uliſſe mirum. In patriam ille contendebat, uxorem & unicum viſere cupiens, præ quorum amore nihil dulce exiſtimabat. Sic Circen & Calypſo, & tot delicias aſpernatus eſt. In patria ipſa, in ſinu meorum objecta ſunt illæ mihi blandificæ remoræ, ad exteros tendenti, quæ me tamen tranſverſum non egêre, nec vinctum compedibus aureis in ſolo natali retinuerunt Sed cùm recti ac generoſi facti conſcientiâ nitar, nihil attinet iſta venditare, quæ gloriam vanam redolent, quam nunquàm appetii. Alia etiam acceſſêre ingratiora, quæ huic moræ, de qua merito vos queri confiteor, ſonticam cauſam dederunt. Eas cùm omnes ſingillatim expoſuerim in litteris, quas Clariſſimo Weulichovio, qui vobis eſt à ſecretis, parcam hic eas oculis veſtris ſubjicere, menteſque veſtras majoribus occupatas avocare. Hoc unum rogo, ut de mea conſtantia dubitare nolitis, eamque de me fiduciam capiatis, quæ de eo capi poteſt, cui quidlibet pati ſatius, quàm non promiſſis ſtare & votis veſtris reſpondere. Lenta nomina, ſi fidelia ſint, non minùs bona videri debent præſertim iis, qui poſſunt expectare. Operam certè enixiſſimè dabo; ut quam de me ſpem concepiſtis, re ipſâ ratam habeatis. Interim Deum Opt. Max. veneror, ut incolumes vos & florentes Reipublicæ & Academiæ bono diu ſervet. N. A. V. addictiſſimus, Claudius à Salmaſia. Ex Caſtello Taliacenſi propè Belnam, Idibus Aug. CIↃ IↃ C XXXXII. Inſcript. *Nobiliſſimis & Ampliſſimis Dominis, Dominis Curatoribus Academiæ Lugduno Batavæ.*

§. X. Claudam aliâ hoc Caput Salmaſii epiſtolâ

nondum editâ: *Clariſſimo prudentiſſimoqve Dn Joh. Wevelinchovio Cl. Salmaſius S. P. D. Adhuc me in his locis hærere, Clariſſime Wevlinchovi, mirari fortaſſe poſſes, niſi ſcires, non meâ voluntate hoc fieri, ſed vi majore atqve ingratiis detineri. Dicam tibi, qvod fortaſſe miraberis, bis jam parata mihi ad iter omnia fuiſſe, ipſum accinctum, in craſtinum diem conſtitutum exitum, cùm ecce ex tranſverſo illo ipſo die primùm qvidem me* τὸ κωλικὸν πάθος *oppreſſit, qvô cùm per duas ſeptimanas graviſſimè laborâſſem, & par temporis ferè ſpatium viribus defectis recolligendis inſumpſiſſem; cùm jam iter ſecundâ vice animô propoſitoqve repeterem, & paratus ipſe jam cum meis eſſem, dieſqve ſeqvens ad diſcedendum ſumptus, iterum in ipſo articulo febris ingruens pedem jam alterum in curru habentem, ad lectum remiſit. Qvæ tertiana primò, mox duplex tertiana, & poſt paulo in continuam degenerans, qvod erat reliqvum ex priori valetudine virium nondum refectum ita exhauſit, ut etiamnum febre vacuus ac liber, in recuperandis illis multùm laborem ac vix qvidqvam proficiam. Certum tamen eſt, qvodcunqve fuerit, etſi nondum ex voto confirmatâ ſanitate, qvamprimum experiri tertio, an perſtabit in tenore ſuo fortuna illa, qvæ mihi hactenus ad vos properanti, has prope dixerim* θεηλάτους ὀδοστασίας *objecit. Deus faxit, ut meliorem experiar. Id tentaturus cogito ſub initio ſeqventis ſeptimanæ Lutetiam me conferre, & ad viam totâ illâ deinde ſeptimanâ præparare, qvam per Caletum ut priùs, & mare capeſſendam ſtatuo. D. Waleus, qvi tibi has traditurus eſt, hæc eadem tibi dicet, qvem brevi me adſeqvuturum ſpero, modò navem paratam Caleti inveniam, & ſecundos adſpirantes habeam ventos. Inte-*

terim vale vir Clariſſime, & Salmaſium, ut facis, ama. E Griniaco A. D. Pridie Kalendas Septembris CIↃ IↃ CXXXII. Inſcript. *Clariſſimo & Conſultiſſimo viro D. D. Johanni Wevlinchovio, Lugduno Batavæ urbis Syndico. Lugdunum Batavorum,*

CAPUT IV.

§. I. Interpretes Pentateuchi enumerans Cl. Dn. Joh. Henricus Heideggerus Doctor & Profeſſor Theologus Tigurinus adducit lib. I. c. II. p. 40. (edit. Tigurinæ M. DC. LXXXI.) Enchiridii Biblici *ἱερομνημονικοῦ* ex *Auguſtanis Brentium, Glaſſium, Heerbrandum, Marbachium, Mettingerum, Nazenium, Spangenbergium, Waltherum.* Sed nec *Mettingerus*, nec *Nazenius*, qvos nunqvam vidi, nec adductos legi, qvod qvidem ego ſciam, aliquid de profeſſo in Pentateuchum edidêre. Nec facit ullam eorum mentionem diligentiſſimûs D. N. Calovius in aureæ Pædiæ Articulô Poſteriore c. II. §. X. p. 165. ſ. Davidis Chytræi Commentaria potuiſſet adducere vir doctus, illa enim ſunt in mundo & ad manus. De *Spangenbergio* utroqve, tam patre Johanne, qvàm filio Cyriaco, mihi qvoqve non conſtat, illos ſeorſum Pentateuchum enarrâſſe; ſanè nec Calovius eorum meminit, nec inter ſcripta illorum recenſet ullum Commentarium in Pentateuchum Melchior Adami in Vitis Germanorum Theologorum p. m. 202. & 732. edit. Haidelberg. M. DC. XX. in 8r. Niſi Schematiſmos & Diſpoſitiones Cyriaci hôc nomine cenſere velit Cl. Heideggerus; at hos & in ſeqventes libros Biblicos ſcripſit Baſileæ apud Oporinum editos in fol. B. Mich. Walthe-

rus loca controverſa adſeruit in Spongia Moſaica Noribergæ annô 1642 excuſa in 4to. Ille ipſe Heideggerus paginâ ſeqvente 41. recenſens commentatores Auguſtanos in Geneſin, nominat *Chytræum*, *Fabritium*, *Gerhardum*, *Hamelmanum*, *Hunnium*, *Lutherum*, *Matthiam*, *Rungium*, *Selneccerum*, *Tarnovium*. At Tarnovius, pace qvod illius viri dicam, neuter in Geneſin Commentarium edidit, nec Paullus nec Johannes. Potiſſima ſi non omnia illorum ſcripta recenſet in III. Decade Memoriæ Theologorum noſtri ſeculi Clariſſimorum renovatæ Cl. Dn. M Henningus Witte p. 323. ſ. 367. ſ. at de enarratione in Geneſin nihil reperio. De Salomone Geſnero, Simone Gedicco, Polycarpo Lyſero, Abrahamo Calovio, Chriſtiano Chemnitio & Auguſto Varenio, qvos Dn. Heideggerus præterit, certò conſtat, qvòd Geneſin inluſtrârint qvàm optimè. Sed non mihi æqvè exploratum eſt, qvis fuerit ille Lampadius Lutheranus, qvem in Interpretibus Librorum Vet. Teſt. omnium, vel plerorumqve Dn. Heideggerus ponit in pagina dicti libri 24. Novi qvidem M. Joh. Lampadium, at is fuit Reformatæ Theologiæ & Hiſtoriar. in publica Schola Bremana Profeſſor & Paſtor ad S Stephani, cujus aliqvot Diſputationum Decades de Conciliis Bremæ annô M. DC. XVIII. in 8t. impreſſæ, ſunt in medio; ſicuti & ejus continuatio Mellificii Hiſtorici Chriſtoph. Pezelii, Francofurt. edita in fol. annô M. DC. LXVIII. Ceterùm *Pelargum* Jeſaiam interpretatum eſſe in p. 235. ab eodem Heideggero qvidem docemur, at fortè fruſtra Vellem locum, annum & formam editorum addidiſſet librorum, cùm in nominibus propriis facilis typothetarum lapſus ſit, qvippe hoc in ipſo Heideggeri libri, qvi p. 103. *Halingius* nominatur

tur p. 117. 122. 134. *Helingius* eſt. Præter Seb. Schmidium & Varenium habeo B. Joh. Wigandi Epiſcopi Pomezanienſis Explicationes breves in Jeſaiam Erphordiæ M. DC. LXXXI. in 8t. in lucem datas. Heilbrunnero, à Cl. Heideggero ut interpreti Jeſaiæ adducto rectè, prænomen eſt Philippo, fuitqve frater Celeberrimi illius Jacobi Heilbrunneri D. aulici primùm Palatini concionatoris, poſt à Reformatis ab officio remoti, annô CIↃ IↃ LXXVIII. Tubingam concedentis, viri de Eccleſiaſtica Republ. optimè meriti, & inprimis Tractatibus *de Papatu Acatholico*, *Synopſi doctrinæ Calvinianæ*, *Schwenckfeldio-Calviniſmô*, *Dæmonomaniâ Piſtorianâ*, *Antidotô in Dæmonomaniam Piſtorianam*, *Carnificinâ Eſaviticâ de flagellatione*, *Apologiâ Confeſſionis Principis Wolfgangi*, *Palatini Rheni* &c. clari. Hic verò, Philippus, fuit Paſtor Lavinganus & *Colloqvio Ratisbonenſi* & *Diſputationibus nonnullis in Jeſaiam*, *Jeremiam*, *Zachariam & Danielem*, *ut & libris de Innocentia Lutheri contra Jeſuitas* innotuit. Joh. Henr. Urſinum in p. 314. numerat inter Interpretes XII. Prophetarum minorum Dn. Heideggerus. At præter Joëlem, Jonam, Hoſeam & Amos mihi nullus Propheta ſuccedit memoriæ, qvem hic Urſinus, Spirenſis, & olim Eccleſiæ Ratiſponenſis Superintendens Commentariô explicârit. De Zephania qvidem in Dedicatione Amoſi p. m. 14. memoriæ prodidit, qvod illum ab Amoſo cum Prophetico Catechiſmo homileticè exponere cœperit, num verò ad finem perduxerit & publicârit, dicere non habeo. Enimverò ceteris de Prophetis nihil planè mihi compertum eſt. Auguſti Varenii Theologiæ Doctoris, Catecheſeos Chriſtianæ & Hebraicorum in Univerſitate Roſtochienſi Ducalis Profeſſoris, interpre-

pretis profectò non unius è multis Commentarium in Koheleth ſive Eccleſiaſten Roſtochii annô M. DC. LIX. in 4to. effugiſſe diligentiam doctiſſimi Dn. Heideggeri, monſtrabit p. 463. ubi tantùm Brentium, Dietericum, Gejerum, Lutherum & Melanchthonem, ut Eccleſiaſtæ interpretes laudat. Negligit & illum ipſum Varenium Dn. Heideggerus recenſens interpretes in Zachariam; at non omittit in Haggæum & Malachiam, ſicuti nec in Danielem. Sunt autem omnes iſti qvatuor noviſſimi Vet. Teſtam. Prophetæ poſt-babylonici junctim à B. Varenio explicati & editi Roſtochi anno M. DC. LXVII. in 4to. Illud verò planè non capio, quòd à Dn. Heideggero in p. 477. *Titelmannus* in Lutheranorum interpretum Cantici Canticorum grege adnumeretur, cùm palam, ſit Franciſcum Titelmannum fuiſſe Haſſellenſem Fratrem ordinis Minorum & ſic Pontificium, cujus Commentarii, ut in titulo vocantur, doctiſſimi, in Cantica Canticorum Salomonis, editione primâ, (recenti qvidem) emendatiores excuſi ſunt Pariſiis apud Joannem Roigny 1547. in 8t. Cujus typographi ad Lectorem præfatio brevis, cùm omnem omnino nobis evellat ſcrupulum, digna hîc qvæ adponeretur viſa fuit. *Hactenus amice Lector (qvod ſemper inſtituti mei ratio poſtulare viſa eſt) niſus ſum auctorum probatiſſimorum lucubrationes excudere: ut non meritò privati commodi ſollicitus, verùm potius Catholicæ Religioni publicæqve ſtudioſorum utilitati conſuluiſſe videri poſſim. Titelmanni Elucidationem in librum Divi Job, non ita pridem in manus dedi: neqve animo meo feciſſe ſatis ſum arbitratus, ni ejuſdem poſtremam fœturam (Commentarios dico in Cantica Canticorum Salomonis) à nobis emendatam, typis committerem. Id qvidem eô liben-*

libentiùs præſtiti, ne tu fidem noſtram accuſares, aut Titelmanni poſtremum monimentum deſiderares. Vale, & fœliciter fruere. Imò ipſe Heideggerus in p. 177. 178. ipſum inter Pontificios collocat. Si qvis ſcire verò noſtros velit in Canticum interpretes, en adſunt B. Gerhardus, cujus Poſtilla Salomonæa Lubecæ annô M. DC. XLIV. in 4to. excuſa nemini non nota eſt, miréqve laudata B. Dn. Sauberto in parte I. Poſtil. Emblem. p. 7. cujus verba retulit & Theologus qvondam Francofurtanus Dn. M. Bernh. Waldſchmidt in litteris, ad Jo. Henr. Urſinum, Salomoni ejus Euangelico Francofurti M. DC. LVI. in 4to edito præmiſſis. Cujus Urſini Salomo Euangelicus fortè latuit Heideggèrum, cùm prætermittatur ab illo in Catalogo interpretum Auguſtanorum Proverbior. Eccleſiaſtæ & Cantici, in qvod Canticum habemus & accuratum Commentarium Jacobi Durfeldii Rintelii impreſſum M. DC. XXXII. in 8. item ſolidas, perpetuas & admodùm eruditas Joh. Michaëlis Dilherri Adnotationes, Uratiſlaviæ annô M. DC. LXXX. editas in 8t. Sicuti verò ob Selecta Scripturæ Moſaicæ Noribergæ CIↃ IↃ C LVII. excuſa Glaſſius à Dn. Heideggero in p. 40. refertur inter Pentateuchi interpretes: (nihil enim unqvam vir ille beatus ex profeſſo in Pentateuchum ſcripſit præter illa ſelecta; cùm Chriſtologia illius Moſaica Jenæ M. DC. LXXVIII. in 4to. impreſſa priora ſolùm qvinqve Geneſeos capita complectatur) ita ob ejuſdem Glaſſii Selecta Scripturæ Davidicæ Noribergæ M. DC. LVIII. in 4to edita, ille ipſe in numerum Interpretum Pſalmorum Davidis cooptandus miniméqve tacendus erat, qvem tamen prætermiſſum video ab Heideggero p. 441. ubi & Haberkornium inter interpretes Pſalterii recenſet, qvem hactenus videre non

datum fuit, licet omnia Haberkornii ſcripta, ut qvondam Præceptoris mei Giſſenſis, mihi ad manus ſint. Fugerunt Clariſſ. virum Joh. Arnd, Dauderſtadius & cumprimis ob utilitatem ſuam nemini non notus & acceptus Reinhardus Bakius. Illum, Dauderſtadium puta, habeo ex edit. Lipſ. 1679. in fol. Hunc Bakium volo, ex edit. Francof. 1664. itidem in fol. Enarratio XXI. priorum Pſalmorum Nicolai Hemmingii impreſſa eſt apud Petrum Santandreanum in 8r, annô M. D. XCII. at XXV. & LXXXIV. Pſalmorum continetur in p. 1028. ſ. Opuſculorum Theologicorum ejuſdem Hemmingii, quæ excudit in folio Euſtathius Vignon M. D. LXXXVI. A lectione Meditationum Theologicarum B. Caſpari Finckii Giſſenſis, Theologiæ Doctoris, Superintendentis Generalis, Paſtoris, Adſeſſoris, & Profeſſoris Saxonici, Coburgenſis, in qvibus priores dilucidantur Pſalmi Davidici nunqvam, niſi doctior, abeo. Excuſæ ſunt Giſſæ, CIↃIↃCXXIII. in 12. Adde & ejus Centuriam IV. Canonum Theologicor. p. 203. ſ. ubi Pſalmum XCII. exponit. Ceterum inter Libri Sapientiæ interpretes refert cum Dieterico & Schmidium ſæpius nobis adductus Dn. Heideggerus pag. 520. Sed vix credo ullum Schmidium Lutheranum, ſive vocetur Eraſmus, ſive Johannes, ſive Caſparus, ſive Sebaſtianus, in Sapientiæ librum ſcripſiſſe. Scio eqvidem Dn. D. Johannem Schmidium Theologum Argentoratenſem edidiſſe librum, cui titulum *Chriſtianæ Sapientiæ* fecit; at ibi non explicat librum Sapientiæ, ſed locum è Deuter, XXXII. 29. in LV. concionibus. Argentor. M. DC. XXXV. in 4to. Recenſens in pag. 726. Heideggerus Auguſtanos, ut vocat, qvatuor Euangeliſtarum interpretes, ut *Avenarium*, *Backmeiſterum*, *Blocium*

(qvem

(qvem ſe rectè habere vix mihi perſvadeo) *Chemnitium*, *Dietericum*, *Epplinum* (fortè Æpinum) *Gerhardum*, *Hemmingium*, *Himmelium*, *Hoëum*, *Keſlerum*, *Kirſtenium*, *Lutherum*, *Majorem*, *Oſiandrum*, *Radmannum*, *Sarcerium*, *Sconerum* (de hoc qvoqve non parum ambigo) *Selneccerum*, *Waltherum*, *Winckelmannum*; confundit qvatuor Euangelia cum Euangeliis dominicalibus. Dicti enim auctores plurimi explicaverunt qvidem Euangelia dominicalia, minimè verò qvatuor Euangeliſtas. Nos potiſſimum probamus Harmoniam Chemnitii, Lyſeri & Gerhardi ex editione Francofurtana & Hamburgenſi M. DC. LII. in fol. hæc enim optima eſt, ad qvam omnes aliæ planè non accedunt. Poterit & addi Harmonia D. Chriſtophori Althoferi in 4to Jenæ M.DC. LIII. In interpretibus in Matthæum miror Heideggero non veniſſe in mentem Gerhardi Adnotationum Poſthumarum Lipſiæ 1676. in 4to editarum, qvibus præmiſſus eſt inſignis ejuſdem Gerhardi noſtri tractatus, *de interpretatione Scripturæ Sacræ*, qvem cum Wolfgangi Frantzii libro ejuſdem argumenti, Dannhaweri Hermineutica, Glaſſii Philologia, accuratiſſimô indice, qvô maximè, ſi aliqvis ullus, ille liber indiget, additô, Zeiſoldi Logica ſacra in Novo Teſtamento comprehenſa, qvam miror eruditis hîc non notiorem eſſe, nec plures fieri; Theſauro Grammatico Buxtorfii, Grammatica Græca ſacra Novi Teſtamenti Georgii Paſoris & Caſp. Finckii ac Mœbii Canonibus junctim edere ut operæ pretium mihi videtur, ita & ſedet animo. Eſt in medio Matthæus enucleatus D. Caſparis Bertrami, Eccleſiæ Naumburgenſis Paſtoris primarii Arnſtadii impreſſus annô CIƆ IƆ C LI. in 4to. Martini Spilenbergeri Gölnitzbanienſis Pæonii, Scholæ

Stol-

Stolpenſis Rectoris Promptuarii diſtinctionum ſententiarumqve Theologicarum in Libros Novi Teſtamenti Repoſitorium I. in qvo Euangelium ſecundùm Matthæum formalibus ferè qvorumdam, Auguſtanæ præſertim Confeſſionis, Theologorum verbis, juxta naturalem capitum verſiculorumqve ſeriem (repeto de induſtria verba Tituli, hujus libri) expoſitum, mole qvidem exiguum, qvippè qvod Stetini in 8r. annô M. DC. LXI. editum, at ingentis maximæqve utilitatis eſt. Hôc enim multos libros & interpretes facere compendii potes. Pandectæ D. Petri Winſtrupii Scaniæ Epiſcopi Londini Scanorum annô M. DC. LXVI. in fol. editi in Matthæum ſunt qvidem ſatis ſolidi & admodùm eruditi, ſed qvia in paucorum manibus, & tantum X. Capita abſolvunt, nolo de illis hîc adferre plura. Finckium in Lucam ſcripſiſſe p. 761. putat Dn. Heideggerus, ſed vix probabit. Ego ſanè mediocris bonorum librorum & interpretum inqviſitor, hactenus eum non vidi, nec adducit eum Finckianorum in ſcriptorum Catalogo Cl. Dn. Henningus Witte Decad. III. Memor. Theologor. noſtri Seculi renovat. p. 353. ſ. Ille ipſe Heideggerus interpretibus in Johannem connumerat Glaſſium & Mentzerum p. 778. priorem non ſatis clarè, poſteriorem non rectè; Si enim à Bibliis Vinarienſibus, in qvibus ille multorum librorum eſt potiſſimus interpres, & explicator poſt Gerhardum; & à XVIImo Johannis capite diſceſſeris, qvod Glaſſius pro more admodùm eruditè Jenæ explicavit, & annô 1621. in 8t. edidit, nihil ſanè ſeparatìm in mundo invenies, qvod nomen Commentarii in Joannem habeat. De Balth. Mentzero verò non opus eſt verbum addere; proſtant ejus egregia opera meliore curâ & typographô digna Fran-

coſurti Latinè edita in officina Zunneriana 1669. in 4to. Catalogum omnium fermè ejus operum exhibet laudatus Witte Dec. II. Memor. Theolog. renovat. p. m. 264. Potuiſſet illorum locô adducere D. Chriſtianum Niſanium Dithmarſum, cujus Commentarius in Johannem eſt in omnium manibus. Sed non item Mylii, de qvo rurſus ambigo. Qvis verò ille *Winpima*, qvem inter Lutheranos? & qvis ille *Arcularius*, qvem inter Pontificios rejicit? Daniel Arcularius p. m. SS. Theologiæ Doctor & ejuſdem in Academia Marpurgenſi qvondam Profeſſor celeberrimus Lutheranus è ſcriptis univerſô ſat orbi notus eſt, at iſtum Papiſtam ignoro. Noſtrum adducit ſatis rectè Dn. Heideggerus inter Commentatores in Acta pag. 828. Qvippe Mentzeri ſtudiô & operâ, Arcularii Commentarius editus eſt in 8t. Francof. annô M. DC. VII. Imò ipſum Mentzerum qvoqve ajunt Meditationem in Acta ſcripſiſſe in 4to Giſſæ 1622. qvam me tamen non vidiſſe hactenus fateor. Optimum Gerhardum noſtrum omiſit, cujus magni Theologi Adnotationes poſthumæ in Acta Apoſtolorum auctæ Analectis filii Joh. Erneſti Gerhardi Jenæ annô M. DC. LXIX. in 4to prodierunt. Nonnullos fortè juvabit qvoqve Georg. Calixtus. In locum Mentzeri, qvem putat Cl. Heideggerus p. 853. Epiſtolam ad Romanos explicâſſe, ſubſtitue ejus Generum B. Juſtum Fewrbornium, cujus Commentarius ab Haberkornio poſt mortem ejus editus eſt in 4to Giſſæ: Nec ullô modô hîc prætermittendi David Rungius, Theologus cum paucis comparandus, cujus Diſputationes rariſſimæ ex Epiſtolis Paulli ad Romanos & Corinthios impreſſæ ſunt Wittebergæ annô M. DC. VI, in 4to; Item D. Jacobus Wellerus, cujus à nemine non laudatas Ad-

no-

notationes habeo ex editione Brunſvigenſi in 4to. M. DC. LIV. Qvi plures interpretes cognoſcere optimoſqve ex iis ſeligere geſtit, videat præter laudatum jam tum Calovium, Catalogum Catalogorum Draudii, Bibliothecam Pelargi, & Bibliothecam Theologicam Bolduani annô 1614. Jenæ editam, in qva elenchus continetur Scriptorum Eccleſiaſticorum, qvi libros in Biblicos, annum ad dictum uſqve ab ætate Chriſti commentati ſunt. Item B. Michaël. Waltherum in Repoſitorio Biblicæ Officinæ poſteriori Claſſ. I. Sect. I. §. 579. ſ. p. m. 439. ſ. edit. Wittenberg. CIↃ IↃ C LXVIII. in 4to. Gvielmi Crowæi Elencho ſcriptorum in S. Scripturam parum credere poſſumus, pauciſſimos enim qvia vidit ipſe, ſcatet falſis adlegationibus, qvas in proclivi eſſet oſtendere, ſi id jam agere vellemus.

§. II. Memorabilia planè ſunt & omnino imitanda nobis, qvæ de ſe vir rectiſſimi exempli Paullus G. F. P. N. Merula, Batavus Dordracenus, JCtus, Hiſtoriarum qvondam in Academia Lugdun. Batavor. Profeſſor & D.D. Ordinum Hollandiæ Friſiæqve Borealis Hiſtoriographus, in ad Lectorem præfatione libris ſuis tribus Generalis Coſmographiæ præmiſſa hunc in modum reliqvit: *Ne vos mei, qvibus aliqvando in Galliis, Italia, Germania, Anglia innotui, ignoretis, qvis hodie, qvaliſqve ſiem: Batavus, Dordraci natus, Lugduni vivo, XLVII. ferè annorum: decem, ſi ſuperſtites, fuiſſem; qvinqve jamnunc ſum; ſex; ſi Deus adſpirat, futurus poſt ſemeſtre liberorum pater. Deo totus fido; qvod videri volo, eſſe ſtudeo, omnibus optimè cupio, ſingulis decenter: prodeſſe nitor cunctis proprium perpetuumqve habens nocere nemini, bonos amare, malos tolerare, minoribus indulgere, cedere ma-*

majoribus, pares ferre; moroſam gravitatem nihil moror: effrenem levitatem deteſtor, hilarem in pectore virtutem veneror: mei ſemper ſimilis, ſi fortuna blanditur, non tollor; ſi mutat nutatve, non mutor: Deum precatus, contingat mihi, qvod expedit, non qvod volo: meorum ſatagens ſua ſuis relinqvo: non credo, qvidqvid audio: non dico, qvidqvid ſcio: non facio, qvidqvid poſſum. Fallam vult neceſſitas, vel fallar? patior potius, qvàm faciam ſcelus: bonô ſæpe malum vincens, ratuſqve, ſeipſum vincere, ſummam eſſe Victoriam. Humilia ſector: ne ſit, unde gravi præcipiter lapſu. Syrtes, ſaxa, vadaqve forenſia fugiens, turbaſqve & Honorum, qvi ſæpe oblati, inania averſatus, Hiſtoriographum ago Illuſtrium Ordinum Fœderatarum Provinciarum, & in celeberrima Batavorum Academia Ordinarium Hiſtoriarum Profeſſorem; Præfecturâ qvoqve decoratus ab ampliſſimis ejuſdem Academiæ Curatoribus Bibliothecæ, poſt exceſſum nobiliſſimi Juvenis Jani Duſæ. MEAM, *qvod reſtat, legendo ſcribendoqve vitam procudo: memor, eam ſine Litteris mortem eſſe, hominemqve nihil, aut certè perparum ſcire: immane enim qvantum eſſe, qvod neſcit. Præter Coſmographica hæc, & qvædam qvæ minoris rei, dedi jam Praxin Provincialis apud Batavos Curiæ Civilem: Ennii, antiqviſſimi Poëtæ, fragmenta; Tragicam Hiſtoriam Angeli Merulæ, Magni mei Patrui: daturus brevi, à qvibus in præſentia calent prela* Κυνηγετικὰ, *Statumqve cùm Religionis, tum Politicæ Gubernationis: qvibus inde ſuccedent, ſi ab Deo vita mihi, Hiſtoria cùm Belgica, tum Gelrica;* Συγχρονισμὸς *eorum, qvæ proximis centum annis in Orbe Chriſtiano contigerunt;* Διατριβὴ *de Lingvæ Gallicæ Antiqvitate, Mutatione, Dialectis: adfecta omnia,*

omnia, & ferè effecta, Reliqua ſuô parebunt tempore, Hactenus ille. Ejus' *libri Coſmographiæ ſpecialis tres* Amſtelod. CIↃ IↃC XXXVI. in 12. editi, qvibus Hiſpania, Gallia & Italia deſcribitur; (cetera enim, qvæ deſtinaverat, acerba mors ejus intercepit) nullô modô elegantioris eruditionis & Geographiæ ſtudioſis ignorandi ſunt, qvippe eximiè congruentes ad regulam Strabonis, qvæ jubet, ut ſi fieri neqveat, ut accuratam per omnia hujus argumenti cognitionem adipiſcaris, eò qvòd latiùs per civilis vitæ diſciplinam diffunditur, eatenus tamen prodeat, qvatenus capere poteſt, qvi Reipublicæ adminiſtrationi deditus eſt. Vide maximum Boeclerum de Peregrin. Germ. p. 15. Nec enim valde diffuſi ſunt dicti Merulæ libri, & antiqva recentibus copulat, & Geographiam multâ Hiſtoriarum luce inluſtrat, & ſtatum deniqve ac regimen cujuſqve imperii ſic ſatis accuratè deſcribit. *Ceterorum labores*, judiciô Joh. Andreæ Boſii viri Cl. c. V. Introductionis in Notitiam Rerumpublicar. p. m. 58. §. 1. edit. Jenenſis CIↃ IↃC LXXVI. in 4to. *ad hos vix comparari poſſunt, niſi cùm ſingulas, aut paucas regiones ſeorſim deſcripſerunt.* Sed audiamus ipſum dicta in præfatione ſic loqventem auctorem: *Qvæ univerſim ad Mundum, Sphæramqve Caleſtem & Terreſtrem pertinere viſa, largitus; explicatis Europæ Generalibus Provincias tres adpoſui; Univerſi hujus extra controverſiam Ocellos, qvibus Latinus hodie in uſu eſt, licet corruptus, Sermo; qvæqve omnium Antiqvorum Novorumqve monimentis maximè præ ceteris nobilitatæ; Hiſpaniam dico, Galliam, Italiam; mihi, qvàm reliqvæ, notiores. Hiſpaniam ex probatiſſimis delineavi Scriptoribus: Galliam pleramqve ipſe qvidem vidi, & ad Itineraria non infida peragra-*

gravi ; ſed fideliùs ſolidiúſqve dandæ ſymbolas ſuas liberaliter contulit Vir Nobiliſſimus Joſephus Scaliger : Italiam ipſe qvoqve adivi ; & Leandrô Albertô uſus comite, majore cum fructu. Qvod in tribus ego, conentur in reliqvis alii : ſic tandem plenam exactamqve (abſit arrogantia) habituri ſumus Geographiam. Ejus *Coſmographiæ Generalis libri tres & Specialis IV.* excuſi ſunt Amſtel. CIↃ IↃ C V. in fol. poſteà Amſterd. iterum apud Gvilielmum Blaeu CIↃ IↃ CXXXVI. in 12. qvô exemplô utor. Cynegetica Merulæ idiomate Belgicô Hagæ ſunt impreſſa annô CIↃ IↃ C V. in fol. Non contemnenda ſunt Ejuſdem Opera varia poſthuma de Sacrificiis, Sacerdotibus, Legibus, Comitiis, & Præmiis, qvæ militiam ſeqvebantur, Lugduni Batav. annô 1684 edita.

§. III. Legendam hîc ſubjicio aliqvam dicti Merulæ, diu qvæ in MSSis meis delituit, Epiſtolam. *Clariſſimo doctiſſimoqve viro, D. Jano Berckio, cognato honorando Paullus Merula S. Dico. Mitto tibi, vir Clariſſime, cognate honorande, ſpecimen Faſtorum Civitatis Dordracenæ, nuper in Comitiis Hagienſibus à te viſum. Animadvertebam tunc temporis tibi non omnino diſplicere ; ſpero nec diſpliciturum aliis. Tu multum hîc potes, ne qvod pro æternanda patria concepi votum, irritum cadat. Subeat, opto, qvidqvid eſt, magiſtratus mandatu, cenſuram litteratorum, tuam, inqvam, Muſiorum, Beverii, Endii, & ſimilium, qvi ſanè de hujuſmodi ſcriptis poſſunt judicare. Novi fortean erunt homines, qvibus nobiliorum Familiarum notatio non adriſura : ſed tu ipſorum facilè flectes animos. Poſſet alioqvi facilè omitti, ſine reliqvorum detrimento. Incredibile eſt, qvàm ardens mihi ſit deſiderium opuſculi hujus, amore patriæ, emoliendi.*

Juva qveſo, & laborem hunc meum, qvem lubentiſſimè ſuſcipiam, communi patriæ noli invidere. Mitto etiam Ampliſſimo magiſtratui exemplar mearum de Venatione lucubrationum, qvod ipſi, rogo, offeras. Plura, ut conſvevi, miſiſſem, ſi ſuppeditare non gravatus fuiſſet Impreſſor, qvi imperatum ſibi ait, ne qvid Exemplarium vel vendat vel diſtribuat, niſi Ordinibus *Collegiiſqve plenè ſit ſatisfactum. Addidiſſem & tibi exemplar meæ Coſmographiæ, niſi nautæ huic, cui pedibus conficiundum iter, in via nimio futurum fuiſſet oneri. In aliud igitur differam tempus, niſi intellexero, tibi jam nunc eſſe. Vale vir Clariſſime, cognate honorande, ſalutatâ à me conjuge lectiſſimâ, reliqvâqve familiâ. Raptim Lugduni Batavorum poſtridie Kalend. Januar.* CIϽ IϽ C VI. *qvi felix tibi ineat, felicior procedat, feliciſſimus exeat.* Inſcriptio: *Clariſſimo, doctiſſimo, præſtantiſſimo viro D. Jano Berckio, Civitati Dordracenæ à Conſiliis & Secretis, cognato plurimum mihi honorando.*

§. IV. Evolventi mihi nuper cum cura Gerardi Joh. Voſſii Hiſtoriam Pelagianam ex edit. Lugd. Bat. 1618. emendatiſſimâ ſecundâ Elzevirianâ Amſtelodamenſi CIϽ IϽ C LV. deſtituto, in qvâ ſcio plura eſſe correcta, licet non omnia, vitia typographica, obtulerunt ſe notanda ſeqventia: In p. 16. §. 10. ait *Auguſtinum lib. de Gratia Chriſti c. XXX. XXXIV. XXXVI. XXXVII. & XXXVIII. citare fragmenta qvædam ex Epiſtola Pelagii ad Innocentium Papam*; Tu pro *c. XXX.* ſubſtitue XXXI. & pro *XXXVIII.* XLI. In extr. c. V. p. 21. neſcit auctorem præfationis in Proſperum: *Ad parentem*, inqvit, *eam miſſam eſſe, ſcribunt iidem Lovanienſes, ſive qviſqvis præfationem Proſpero præmiſit.* Atqvi eſt is Johannes Sotteau, ejus enim nomen

men inveni aliqvando adſcriptum optimo cuidam in illuſtri qvadam Bibliotheca adſervato exemplo. In p. 23. princip. c. VI. qvo minus Julianus Epiſcopus Campanus, credatur fuiſſe Celanenſis, ut Gelaſius & Beda putant, ſive Celenenſis ſeu Celemnenſis Epiſcopus, Voſſio obſtare videtur, *qvòd ævô Auguſtini nulla vel obſcura Celenenſium memoria eſt*; At qvia *obſcura*, inde Campanus potiùs dictus, qvàm Celenenſis, ut ab illuſtriori loco Qvod verò in eod. cap. p. 24. & c. XVIII. p. 64. ait. *Gennadium hunc Julianum epiſcopum* Capuanum *adpellare*, fortè mendum eſt, cùm palam ſit, legendum eſſe *Campanum*, auctoribus Honoriô & Trithemiô; eſtqve ita in Sigebergenſi Gennadii Catalogi Illuſtr. Scriptor. exemplari MSo à Suffrido Petro notato, uti & in Vincentii Speculo Hiſtoriali l. XX. c. XXVI. Qvamqvàm veteribus *Campanus* idem qvod poſterioribus *Capuanus*, ut oſtendit Cluverius p. 1174. v. 50. Italiæ. In eadem pagina 23. ait *Ptolomeum* (lege hîc & ubiqve *Ptolemæum*) *Eclanum* Α'ικiλανοι *vocare*, cùm in meo exemplo habeatur Α'ικυλᾶνοι Subjicit: *Eclanum non in Campania ſed in Apulia Peucetia veteres & recentes Geographi conſtituunt.* Hirpinis Cluver. in Ital. p. 1203. *Fortaſsè* pergit Voſſius, *igitur falſus fuit & Gennadius & Beda, cùm Campanum fuiſſe Epiſcopum uterqve ſcripſit.* Sed enim Proſper, qvi eum probè novit, Campanum fuiſſe indicat. In p. 25. c. VI infit Voſſius: *Julianus præter iſtos qvatuor, non VII, ut apud Honorium legitur, ſed octo adverſus Auguſtinum libros ſcripſit, prout rectè apud Gennadium editum eſt.* Scilicet in editione Mariani Victorii; at in editione Suffridi Petri VII. habentur. Et l.I. c.XIV. p. 55. ille ipſe Voſſius ſcribit: *Mox Pelagianus iſte, qvaſi*

qvaſi de libellorum numero, non de pondere argumentorum concertatio foret, adverſus SEX eos miſit octo *ſuos.* Qvin adverſus ſecundum S. Auguſtini librum de Nuptiis & Concupiſcentia. Id nos ille ipſe docet clarè Sanctus Altercationis libro ita præfatus: *Vir Illuſtris* (Valerius Comes) *miſit mihi in Chartulis nonnullas ſententias decerptas ex opere Juliani hæretici Pelagiani (in qvo opere libris IV. reſpondiſſe ſibi viſus eſt illi uni, qvem de Nuptiis & Concupiſcentia me ſcripſiſſe memoravi.) miſſas ſibi à neſcio qvo, qvi eas, ut voluit, ex primo Juliani libro decerpendas putavit: qvibus ut qvantocyus reſponderem idem Valerius popoſcit. Et factum eſt, ut ſub eodem titulo etiam ſecundum librum ſcriberem, contra qvem Julianus alios* octo *nimiâ loqvacitate conſcripſit. Scripſit*, addit ibid. p. 25. Voſſius, *prætereà Julianus epiſtolas duas, unam, Romam, ad Zoſimum.* Verùm ipſe primô Altercationis negat Auguſtinus ſcriptam fuiſſe ad Zoſimum. Eadem in 25. pag pro φλαωιωνȣ̃ lege φλαωιανȣ̃. De Zoſimo p. 27. ſcribit: *Conſtat Zoſimum Romanum Epiſcopum factum eſſe annô CCCCXV. Eccleſiæqve præfuiſſe annum unum, menſes qvatuor, dies ſeptem.* Ita qvidem Baronius, ſed Proſper, cujus antiqvior fides, menſes novem habet totidemqve dies. In p. 31. inqvit: *qva de re fuſè dicemus lib. III. cùm aperiemus Maſſilienſium ſententiam de Gratiæ neceſſitate.* Tu ſubſtitue lib. IV. p 389. 390. 394. 395. In p. 35. v. 17. pro *Conſilii* lege *Concilii*; *& in p. 101. v. 33.* pro *concilium* lege *conſilium.* In p. 40. producit locum ex Eucherii libro de Eremi laude ad Hilarium Arelatenſem ſcripto. Dicto in loco, ut taceam *auctora* pro *auctore* incuriâ typographi poſitum eſſe, pro illis verbis, *internô gemmarum ſplen-*

ſplendore perſpicuum, in veteri codice optimo inveni *interno gemmam ſplendore perſpicuam.* In p. 44 c. X. adducit Gennadii libr. de Eccleſ. *dogmatibus* perperam pro *Scriptoribus.* In p. 52. ait: *Auguſtinus primum antidotum propinavit epiſtolâ ad Julianum*; adde annô CCCCXVIII. Et in ſeqvente p. 53. pro *anno CCCCXVI. Concilii Carthaginenſis litteris ad Innocentium Auguſtinus addidit privatas tum ſuô, tum Aurelii, Alipii, Evodii & Poſſidii nomine ſcriptas,* malim CCCCXVII. In fine hujus pag. 53. ſcribit: *Qvod verò Pelagium qvoqve ad Albinam & Melaniam ſcripſiſſe, in Apparatu ſuo Poſſevinus ait: id qvamqvàm verum eſſe poteſt, tamen metuo, ne veteres laudare poſſit auctores.* At Balæum hîc ſeqvutus eſt: ſicuti & in eo, qvod in p. 55. ille ipſe Voſſius huic Antonio Poſſevino, *viro*, ut vocat, *multijuga lectionis*, objicit ut μνημονικὸν ἁμάρτημα, & verè in Adparatu ſuo prodidit, nimirum Pelagium duos ſcripſiſſe libros ad Bonifacium Comitem; qvale qvid apud veterum legerat neminem; in eo, uti dixi, qvoqve ipſo Balæum ſimpliciter tantùm habet prævium. In c. XV. p. 56. adducitur Auguſtini liber de *Conceptione*, & Gratia, pro *Correptione.* Item ejuſdem liber de Prædeſtinatione ſanctorum & Perſeverantiæ *bono*, ſed lege *dono*, & ibid. pro *Caſſandre, Caſſander.* Eadem in p. legitur: *Annô verò CCCCXXIV, dum occupatur ſcribendis Retractationum libris*: mallem cum aliis CCCCXXVI. vel potius IX. Ut mittam vitium typographicum in v. 3. c. XVIII. p. 61. in voce *reliqvis Pelagii* pro *reliqviis* admiſſum & in p. 62. v. 27. in voce *Pelagianas* pro *Pelagianos*, ut non magnæ rei, ſanè in eodem capite p. 64. ait, *Marcellinum Comitem & Martyrologium Romanum teſtari, Proſperum fuiſſe*

 epi-

epiſcopum, qvod tamen in emendata Sirmondi editione non comparet. In l. I. c. XX. tractans qvæſtionem de auctore libri, qvi inſcribitur *de Vocatione Gentium*, in p. 67. ita ſcribit: *Qvid ſi ob veterum codd. auctoritatem, Proſperi eſſe agnoſcamus, ſed alius à Regienſi? Nam præter hunc fuit Proſper Epiſcopus Aurelianenſis, ad qvem ſcribit Sidonius l.VIII. Ep.XV. Unde & Aniano* (annô CCCCLIII. defuncto) *ſucceſſiſſe cognoſcimus. Ac videtur idem eſſe, qvi qvingenteſimum poſt annum (ut diſcipulus Auguſtini eſſe non poſſit) ſubſcripſit Concilio Vaſenſi, itemqve Carpentoractenſi.* (*Capentoractenſi* enim qvod in Voſſio habetur, in mendo cubat) At Synodorum iſtarum temporibus Aurelianorum Epiſcopus minimè erat Proſper aliqvis, ſed Euſebius, vel Leontius, ut Sirmondus docet in Sidon. Apollinar. p. 155. In c. XXIV. p. 69. ait: *Operæ verò eſt conſiderare ut nec uſqve qvaqve hæc in cauſſa convenerit Maxentio & Hormiſdæ. Sed de eo commodiùs agemus, cùm de epiſcopis urbis dicendum erit.* Verumenimverò non ibi, ſed librô VI, theſi XVIII. p. 625, 626. 627. id agit. In p. 81. mendæ ſunt non tantùm in nomine auctoris adducti, ſed & in verbis ſcriptoris. Pro *Steph.* Binn. lege *Severin.* Pro, *Adfuerint inter alios, nec deſuerunt Celeſtiani*, ſubſtitue, *adfuerunt inter alios nec deſeruerunt eum Celeſtiani.* In p. ſeqvente 82. laudat editiones veteres Conciliorum, Qventelianam anni M. D. XXXVIII. & XI. item Jovinianam anni CIƆIƆLV. pro *Joveriana.* In p. 87. Iterum adducitur *St.* Binnius, pro *Severinus* Binnius. In l. I. c. XLI. p. 95. pro, *anno CCCCXIV. Diopoli in Palæſtina* lege *CCCCXV. Dioſpoli.* Ibidem adducit locum ex Auguſtini de Peccat. merit. & remiſſ. lib. II. c. VIII. & IX. cùm debuiſſet ſcribere de Gra-

Gratiâ Chriſti & Originali Peccato; ibi enim iſte locus habetur Tomô ſcil. VII. Operum Auguſtini. In capite & p. ſeqvente 96. ait Voſſius: *Exſtat hujus Concilii* (Carthaginenſis II) *Epiſtola ad Innocentium I. ex cujus inſcriptione cognoſcimus, ſexaginta* ſeptem *Præſules Eccleſiarum ad illud conveniſſe.* At ego in optimis *ſexaginta octo* inveni. Eadem in p. verſu ultimo, pro LX Epiſcopis, à qvibus Milevitanum habitum Concilium eſſe dicit, mallem LXI. In c. XLIV, p. 98. ſcribit: *Concilium Africæ univerſale annô CCCCXVIII. ſub Aurelio Carthaginenſi κατ' ἐξοχὴν Africana Synodus vocari ſolet: ut ob Oroſio Apolog. de Arbitrii libert. ubi ex eo citat. c. VI.* At is intelligit Carthaginienſem I. de qva Voſſius p. 95. 96. egerat. In c. XLV. p. 100. *Qvod autem*, inqvit Voſſius, *Photius* denariô *auctiorem epiſcoporum numerum* (in Carthaginenſi III. Concilio). *facit, hoc inde eſſe arbitror, qvod in librum inciderit, ubi pro CCXIV. ſcriptum eſſet CCXXIV.* Verùm Photius non *denariô* ſed undenariô numerô auctiorem numerum facit, unde ruit conjectura Voſſii. In Matth. Weſtmonaſterienſi ad Ann. CCCCXV. habes numerum CCXXIV. Juſtelli locus, qvem in eadem p. 100. Voſſius adducit, habetur in notis p. m. 116. Pro LXVII. Epiſcopis, qvos ibidem Voſſius Carthaginenſi Concilio, malim LXVIII. & pro LIX. qvos in eadem p. Milevitanæ Synodo interfuiſſe ſcribit, pone LXI. In c. XLVI. p. 102. adducit Henricum Antiſſiodorenſem, qvaſi vitam B. Germani carmine ſcripſerit ad Carolum *Craſſum* Imperat. cùm palam ſit, Carolum *Calvum* fuiſſe. In p. 105. extr. c. XLVII. pro Gregor. l. VII. Epiſtola XLVII. numero XLVIII. in meo Gregorio. In c. L. p. 209. citat Sidonii lib. IX. Epiſt. ad *Migecium*, ubi Codices, qvos ego qvidem

habeo omnes, conſtanter legunt *Megetium.* In c. L. p. 110. meminit epiſtolæ Hilari Papæ, qvam, ne neſcias, habemus Tomo I. Epiſtol. Galliæ p. *135. 136.* Qvod verò ſubjicit, Lucidum in ſuarum litterarum inſcriptione, qvas miſit ad Patres Concilii Lugdunenſis, addere & *Theophraſtum* & *Virianum*: item Sidonium ſcripſiſſe ad *Theophraſtum* epiſt. IV. lib. V. Joannis verò meminiſſe epiſt. XXV. lib. V. aliter habet. Codices enim habent *Theoplaſtum* & *Viejanum.* & pro lib. V. ultimò locô adducto lege IV. In p. ſeqvente III. *Inter Proſperi*, inqvit Voſſius, *& Fauſti epiſcopatum intermedius eſt epiſcopatus Maximi Abbatis: ut conſtat ex Sidonii Apollinaris Carm. Euchariſt. ad Fauſt.* At Fauſtum non fuiſſe epiſcopum oſtendit Sirmondus in Sidon. Apollinar. p. 155. Sanè non fuiſſe Regenſem in Gallia ille agnoſcit ipſe Voſſius c. XVIII. p 63. 64 Unde nullum iſti argumento pondus eſt relictum. In p. 112. c. L. *Sed qvis*, inquit Voſſius, *Auxianus iſte, qvi in Arelatenſi Concilio primus ſubſcripſit? Num ille, cujus* Sidonium *meminiſſe diximus Epiſtol. ad Leontium?* Ubi Voſſium fortè fugit memoria, in proximè enim antecedente p. 110. v. 2. auctorem illius epiſtolæ nominat Hilarum Papam, de qvo ante paullò dixi, ubi ejus epiſtola reperienda. De cetero Leontius tum ſine omni dubio Arelatenſis fuit Epiſcopus & Synodi Præſes. Qvod verò eadem in p. ſubnectit: *Qvod Ravennio Eonium ſucceſſiſſe ajunt, qvem veterem laudare poſſunt auctorem?* benè habet. Nam id ſolus ait Baronius, & falsò, cùm certum ſit, Leontium Ravennio, Æonium Leontio ſucceſſiſſe. Tædium lectoris verens in præſentia plura hoc de argumento non addo.

§. V. Sicuti non dubito, emendatiſſimam Hebræi Co-

Codicis editionem hôc qvidem ſeculô curatam, eam eſſe, qvæ Cl. Dn. Joh. Leuſdenii Philoſophiæ Doctoris & Lingvæ Sanctæ in Academia Ultrajectina Profeſſoris ductu per Joſephum Athiam annô 1667. & non ita pridem annô M. DC. XCII. (non M. DC. C XII. ut vitioſè impreſſum) Francofurti litteris Wüſtianis adhuc, ut ferunt, correctiùs & commodiùs operâ Viri doctiſſimi Dn. Joh. Henrici Maji D. & Profeſſoris Giſſenſis in lucem prodiit: ita mirari ſatis non poſſum, cùm fortè aliqvando, magni nominis & famæ Theologus Groningenſis D. Samuel Mareſius non adeò benignè dicto de Codice judicâſſet Athiæ, hunc ipſum tantam recuritum potuiſſe ſumere confidentiam, magnæ ut Theologum auctoritatis conviciis & ſibilis non dubitârit conſectari publicis. Chartam ejus brevem inſcriptam: *Cæcus de Coloribus, hoc eſt, Joſephi Athiæ Juſta defenſio contra Ineptam, abſurdam & indoctam reprehenſionem Viri Celeberrimi D. Samuelis Mareſii, quâ judicat tanqvam cæcus de præſtantiſſima, & ubiqve celebrata Bibliorum Hebraicorum editione anni 1667. in epiſtola ad amicum nuper divulgata pag. 9. Amſtelodami typis auctoris 1669.* qvandoqvidem non pauca ad hiſtoriam illius editionis facientia, itemqve maximam & notabilem Celſiſſ. D. D. Ordinum Generalium munificentiam. & in Scripturam pietatem tradit; paucis hîc repetemus. *Prodiit hôc Annô 1669. Menſe Septembri Samuelis Mareſii ad amicum epiſtola, in qva, præterqvam qvòd D. Voetium ſub ſpecioſa pacis petitione non leviter perſtringit, etiam ſtupidâ ac ſupinâ lapſus Hebrææ Lingvæ ignorantiâ reprehendere conatur Biblia à me, eâ, quâ nunqvam antehàc ab alio, curâ edita, & à Typographicis purgata vitiis: qvæ ea de cauſa in An-*

glia, Gallia, Germania, Dania, aliiſqve Orbis terrarum partibus à viris doctiſſimis laudantur, expetuntur, & qvôvis fermè comparantur pretiô. Siccine me dicteriis proſcindis pro egregiè præſtita circa hanc editionem accuratiſſimam opera? nonne te lex Chriſti docet abſtinendum eſſe à maledictis & invectivis ſcurrilibus? qvâ qvæſo fronte tu hominem, qvi nunqvam vel verbulô te læſit, ita palam, qvantum in te eſt, ſtudes infamare. Docet utiqve te Salvator tuus Lucæ VI. verſ. 27. ut diligas inimicos tuos, benefacias iis qvi te oderunt, & benedicas iis qvi te devovent. *At qvàm egregiè legem hanc obſerves, inde cuiqve notum, qvòd ne amicos qvidem diligas, verùm odiô perſeqvaris, & ignominioſis vexes nominibus eum, cujus animum nunqvàm ſubiit vel minima te lædendi cogitatio. Hos ſi credas Chriſtiani mores qvicqvam conducturos ad gentis noſtræ converſionem, longè falleris. Si qvid exiſtimâſſes perperam impreſſum eſſe, blandis illud verbis indicare mihi debuiſſes; modeſtis ego viciſſim literis monſtrâſſem, totô te errare cœlô, eaqve, qvæ ibi Hebraicè annotata, vel non annotata ſunt, captum tuum ſuperare, teqve de iis judicare ut cœcus de coloribus. Nebulonem me appellas, parum memor præcepti Salvatoris tui Matth. V. 22.* Qvicunqve, *inqvit*, iraſcitur fratri ſuo temerè, tenebitur judiciô, & qvicunqve dixerit Fatue, tenebitur gehenna ignis: *niſi fortè putes te legibus ſolutum eſſe, ſoloſqve plebejos edictum illud concernere. Ut verbô dicam, ſummoperè nobis offendiculo es, cùm tamen noveris procul dubio* qvòd ei, qvi offendiculo fuerit uni ex parvis, præſtiterit, ut ſuſpendatur mola aſinaria ex collo ejus, ac demergatur in profundo maris. *Et qvamvis dixeris me veram non habere fidem; non tamen ideo impune tibi*

erit

erit hôc pactô à fide tua alienum me afficere: lex ſaltem noſtra hanc prohibet impudentiam, nec permittit, ut religionis alterius hominem aſperis dicteriis, multò minus mendaciis, proſcindamus. Illud fortè movit vel auxit tuam indignationem, qvòd Bibliis meis præfixa conſpiciantur ejuſmodi Theologorum nomina, qvorum famam & exiſtimationem tu ſcriptis tuis virulentis ſtuduiſti per omne nefas lacerare: Verùm ea de cauſa Theologorum illorum non petii judicia; ſed ideò qvòd illos ſcirem celeberrimos eſſe, & genti noſtræ notiſſimos, tum etiam, utpote linguæ Hebrææ peritiſſimos, optimè de Bibliis hiſce judicium ferre poſſe. At, inqvies, meum qvoqve nomen potuiſſes præfigere: credo eqvidem hanc tui in me meaqve Biblia odii præcipuam eſſe cauſam; ſed ſcias, oportet, nomen tuum, ſi præfixum fuiſſet, abacturum potiùs qvàm pellecturum fuiſſe Bibliorum emptores. Omnes enim tàm Judæi qvàm Chriſtiani probe nôrunt tuam in Hebraicis imperitiam; qvô fit, ut non niſi vitiosè pleraqve linguæ illius vocabula legas: & ne temerè illud videar aſſeruiſſe, qvædam exhibebo ſpecimina, unde ſole meridianô clariùs conſtabit, miſerum te & infelicem eſſe Hebræum, & planè pueriliter impingere, dum voces Hebraicas Latinis Literis legendas junioribus propinas. In Syſtematis namqve tui editione ſecunda, qvæ mihi ad manum eſt, Pag. 12. ראשונים *vertis* roſchanim *pro* riſchonim. 23 אהיה *vertis* eheje *pro* ehje. 134. *Dicis qvod* ירה *denotet* docere, *cùm nunquam talem habeat ſignificationem. Ibid.* המשפטים *vertis* hamiſcpatim *pro* hammiſchpatim. 135 המצות *vertis* hamitzevoth *pro* hammitzvoth, *omittis dages, & legis ſcheva poſt brevem vocalem.* 171 בושרה boſchera *pro* בשורה beſchora. 182 לשאול leſceol, *pro*

pro liſchol, *legis duplex ſcheva ab initio.* 278 הצריק *legis* hitſedik *pro* hitſdik, *cum ſcheva qvieſcen e poſt vocalem brevem. Studioſi certè, qvi extremis ſolummodò labiis deguſtârunt Noſtram Lingvam, ſciunt has voces aliter eſſe pronunciandas: cujus & inſcitia procul dubio te puduit, poſtqvam graviſſimos hos errores tuos cerneres omnibus compertos eſſe: cùm poſtremis in editionibus non ampliùs voces Hebraicas Literis Latinis expreſſeris. Sed ad rem potiùs accedamus.* Non ſine ſtupore, *inqvis, dicere jure debuiſſes*, ſtupiditate, obſervavi tot viros reverendos & clariſſimos, magnoſqve in Literis Hebraicis Rabbinos ſcelus hoc non animadvertiſſe in illa nupera editione Joſephi Athias anni 1667. *Bibliorum meorum approbatores* Magnos *appellas* in Literis Hebraicis Rabbinos: *mirum ergo, cùm noveris qvàm curta ſit tibi domi ſuppellex, qvòd adverſus tot Rabbinos Chriſtianos hiſcere nihilominus auſus fueris; rectiùs utiqve feciſſes, ſi ipſorum acqvieviſſes judicio.* Scelus *me commiſiſſe dicis: at qvo in negotio Scelus illud conſiſtat, animitus opto mihi monſtrari: illudne Scelus eſt, qvod in margine Pſalm. XXII. 17. non ſit annotatum* כארו *Tò Keri? Qvis obſecro te docuit adjungendum in margine Tò Keri? Bibliorum Hebraicorum pleraſqve inſpicias editiones & MSS. exemplaria, & vix decimo cuiqve adſcriptum in margine videbis Tò Keri, & tamen* impium nebulonem *me appellas propter omiſſum hoc Keri Scelus ergo juxta tuam opinionem admiſerunt & impii ſunt nebulones Bombergus, Plantinus multis in editionibus, Angli in polyglottis, Buxtorfius, Janſonius, Veneti, aliiqve; qvi omnes omiſſâ marginali notâ, eôdem modô, qvô & ego, vocem hanc impreſſerunt. Cur non ante criminis ejuſdem reos peregiſti*

egiſti omnes illos autores, idemqve in illis qvod in me carpſiſti? Sed rem ipſam examinemus; totô cœlô te errare dico, dum margini adſcribendum eſſe cenſes Tò Keri: eſt enim contra fidem omnium Maſorctharum & Maſoræ, ut & contra auctoritatem plerorumqve probatiſſimorum exemplarium. Oſtende, qvæſo, ubi Moſara (qvæ eſt qvaſi ſepes legis) doceat, vocem כארי *eſſe cethibh &* כארו *Keri? Neqve enim in Hebraicis te tantæ auctoritatis eſſe cenſeo, ut tibi ſoli tanqvam authentico Scriptori Fides ſit adhibenda. Erubeſcit juriſconſultus ſine lege loqui; etiam te pudeat, qvòd tot viris eruditis audeas adverſari nullâ nixus probabili ratione. Regeres, fortè* כארי *explicandum eſſe per* transfoderunt, *ac per conſeqvens legendum per* כארו. *Reſp. non eſſe neceſſarium, ut per* transfoderunt *explicetur; commodè ſatis exponi poteſt per* ſicut leo, *& verbum* הקיפוני *per* perforârunt, *à radice* נקף, *qvod* perforandi, incidendi & frangendi *ſignificationem habet; ut talis ſenſus ſit:* nam circumdederunt me canes, cœtus maleficorum perfoderunt mihi, ſicut leo, manus meas & pedes meos. *An non æqvè crucifixionem probare poſſet hæc expoſitio, ac falſa vocis* כארו *interpretatio per* transfoderunt? *Qvin imò miror ſummopere, te, cùm Chriſtianus ſis, Tò Keri marginale præferentem τῷ cethibh textuali, in Judæorum caſtra deſcendere, & qvaſi nobiſcum judaizare. Nos qvidem textuali voci præferimus marginalem, ſed me non latet Chriſtianos vocem eligere textualem tanqvam authenticam, & ab ipſis Librorum Authoribus profectam. Pergis meam txagitare editionem*, qvam, *inquis*, ab accuratione & fidelitate tam pompoſè & prolixè reip. Chriſtianæ commendârunt, ut illis teſtimoniis & commendationibus nixus

nixus impius ille hoſtis Chriſti ſuam editionem auſus ſit inſcribere celſiſſimis & potentiſſimis D. D. Ordinibus generalibus Fœderati Belgii, & hâc arte egregium honorarium ab ipſis adhamare. *Meritò viri illi celeberrimi ab accuratione & fidelitate meam commendârunt editionem, qvâ nulla accuratior à qvoqvam ante publici juris facta eſt: pariter enim à Rabbinis & Chriſtianis perlecta fuit; & ſi fortè poſt impreſſionem mendum remanſerit, hoc pennâ fuit emendatum, in quo correctionis opere etiamnum ex miniſtris meis aliqvi ſunt occupati. Nullus unqvam, qvod citra jactantiam auſim affirmare, tales in Hebræa Biblia ſumptus impendit; notas ejuſmodi Hebraicas, qvibus multæ tolluntur difficultates, margini nullus adſcripſit; nemo unqvam emiſit in publicum à Synagoga noſtra & pleriſqve ſimul Belgii Academiis approbata Biblia. Meritò ergo, inqvam, approbata mea editio eſt, & Celſiſſimis inſcripta D.D. Ordinibus generalibus, qvi ea de cauſa maximâ me proſecuti ſunt munificentiâ: in laboris qvippe indefeſſi remunerationem donô mihi dederunt auream catenam cum numiſmate aureo ab ea pendulo, cujus viſendi deſideriô, ſi captus ſis, ubi Amſtelodamum veneris, eam oculis tuis luſtrandam exhibebo; ut ejus ſplendore motus felicius qvid* Belgiô tuô orthodoxô, *de qvo minus gratum tibi judicium tulerunt DD. Profeſſores Leidenſes, tentare incipias, atqve ſimile vel majus adhamare præmium. Plurima poſſem addere, ſed in præſens deſino, hoc unicum adjiciens, me ſi de novo Biblia mea carpere pergas, ſine mora tibi reſponſurum: neqve enim vel animus, vel Typographia deeſt, ſatis multis inſtructa miniſtris, mihi ad nutum inſervientibus; & ſpero DD. Ordines juſtam*

mei

mei defenſionem mihi non interdicturos , qvo minus, ſi iterum me dicteriis proſcindas , impreſſurus ſim Libellum ſub hoc titulo ; Aſinus ad lyram. *Vale vir reverende & celeberrime à tuo Joſepho Athia. Amſtelodami 4. Novembr. 1669.* Docemur hôc exemplô, nobis qvid exſpectandum eſſet , hi ſi ſummâ hominés potirentur rerum aliqvando , qvod DEUS avertet. Ceterùm ſic ſolent in nos illudere Verpi. Apud b. r. Theologum eximium Chriſtoph. Helvicum in Diſput. XI. Tom. IV. Diſputationum Giſſenſ. Theologicar. p.m. 268. teſtatur Elias Schadæus, Judæum qvemdam, cùm commonefactus eſſet de exilio tam diuturno, ut agnoſceret Meſſiam veniſſe, juſſiſſe è cella ſua adferri vinum generoſiſſimum in vitro pretioſo, & monſtratô illô reſpondiſſe כמה היא גולה, id eſt, *qvale hoc eſt exilium?* At enim vidi & non paucos iſtiuſmodi forô cedere thraſones & ſolum vertere coactos vel ob mala nomina.

§. VI. Dabimus nunc aliam diverſi licet à ſuperioribus argumenti epiſtolam , nimirum *magni*, (ut vocat Arnold. Poelenburg Eccleſiaſtes olim Remonſtrantium Hornanus in Dedicatione Spanhemii Diſputationis inauguralis , ut ait, confutatæ) *ingenii manſveti & veritatis amantis* , (judiciô ejúſdem in epiſtola ad C.H. ſive Examine libri VIII. Summæ Controverſiarum Joannis Hoornbeeckii) Simonis Epiſcopii , Jacobi Arminii diſcipuli, Profeſſoris qvondam Leydenſis, & Franciſci Gomari annô CIↃ IↃ C XII. ſucceſſoris : qvam , qvia nos nonnulla de Apologia pro Confeſſione ſive declaratione ſententiæ eorum , qvi in federato Belgio vocantur Remonſtrantes , ſuper præcipuis Chriſtianæ Religionis articulis , docet, perire nolui. En eam , ut ceteras, qvas exhibeo omnes, ex αὐτο-

χά-

χαίρειν. Caſparo Barlæo Simon Epiſcopius S. P. D. Lugdun. Batav. Vir Clariſſ. En tibi exemplar Apologiæ Fratrum noſtrorum, qvod inter alios tibi etiam debetur, qvi ſententiæ & cauſſæ eorum faves. Optâſſem quidem, ut eam videres, antequam in lucem ederetur, ſed multa obſtiterunt, qvo minus id fieri potuerit. Nunc judicium tuum poſtulo, non ut limam, quâ abradatur, qvod in ea aut aſperum, aut ſeqvius ſcriptum videri poteſt: ſed ut digitum, qui oſtendat & indicet, qvid correctione aut animadverſione opus habeat. Scio id te præ cæteris pro judicii tui in rebus omnibus acrimonia poſſe, & pro affectu, qvô cauſſam noſtram amas, ſeriò velle. Magnum opus eſt & varium, quodqve totam penè Theologicarum qvæſtionum ſentinam, ut ita loqvar, exhaurit. Judicia ſine dubio varia experietur, & pro ingenio atqve affectu cujuſqve diverſa. Ut omnibus aut placeat, aut ſatisfaciat, nec rerum tractatarum difficultas, nec animorum diverſitas, nec præjudiciorum, quæ Chriſtianos ferè tenent, efficacitas, ſperare nos ſinunt. Nec deerunt fortaſsè inter æqviores & prudentiores, qvi nonnulla aut conſultò præterita, aut leniùs dicta, aut ſolidiùs demonſtrata, aut Latiniùs ſcripta mallent. Sed quid facias mi Barlæe? Tam facile eſt nemini placere, qvàm omnibus. Jacta alea eſt: Nos hâc viâ ſententiam, & cauſſam noſtram defendendam putavimus, contra ſuperbas, ineptas & acres iſtas Cenſorum cenſuras: ſalem alicubi poſtulavit inſulſa eorum cenſendi libido, & Chriſtiani Orbis intereſſe prodidimus, ut ſententia noſtra de qvibuſdam non neceſſariis dogmatis liberè atqve apertè exponeretur, ut tandem aliqvando intelligat, qvid maximè deſideremus in Chriſtianis cœtibus penè omnibus, qui ferè ob non neceſ-

neceſſaria in partes & factiones aguntur, vel ipſis gentibus pudendas. Hoc conſilium noſtrum ſi factionum iſtarum auctoribus non probabitur, id equidem neutiqvam mirum nobis videbitur; ſufficere credemus, ſi DEO & bonis probabitur. Nos conſcientiæ noſtræ litavimus & patriæ. Tu, vir Clariſſime ſi conſilium ſtudiumqve noſtrum probabis; magnam deſiderio & ſpei noſtræ acceſſionem facies, ſin minus; qvid in Apologia tota deſideres, aut rectiùs tutiúſqve ſcribi potuiſſe exiſtimes, liberè ſignificare, ne graveris. Non offendes, qvicqvid judicaveris. Vale vir Clariſſime, & nos, uti facis, amare perge. III. April. 1630. *Tibi addictiſſimus S. Epiſcopius.* Inſcript. *Clariſſ. viro, D. Caſparo Barlao, Medicinæ Doctori. Lugd. Batavor.*

§. VII. In Epiſcopii locum ſucceſſit Stephanus Curcellæus, de qvo ille ipſe dicta in dedicatione Poelenburgius teſtatur, cum *illo in munere ſe ita geſſiſſe; ut non minus Adverſariis, quàm* ipſis Remonſtrantibus (*nobis* ait) *amori & honori, & admirationi fuerit.* Qvandoqvidem verò dedicatio Curcellæo, Bartholomæo Prævooſtio & Alberto Hutteno facta eſt, qvos *reverendos & honorandos viros, eruditionis ac pietatis laude præſtantiſſimos Theologos* vocat, adjiciam aliqvam Curcellæi MSam epiſtolam, qva in judicium ſuum iſta de Dedicatione aperit. *Chariſſime in Chriſto frater & amice. Relegi ſecundò & Do Prævooſtiô audiente, epiſtolam dedicatoriam † noſtri Poelenburgii. Sed nihil in eâ animadvertimus, qvod non videa-*

† *Præfixam Frederici Spanhemii F. Diſputationi inaugurali confutatæ Amſteladami annô* CIↃ IↃ C LVIII. *in 8t. edita.*

videatur nobis tutò in publicum emitti poſſe. Fortè qvidem modum non nihil exceſſit in laudando, qvod difficile eſt in ejuſmodi ſcriptis vitare. Verùm excuſationi adhuc reſtat locus, ſi laudes monitorias eſſe dixeris, & non tam ſignificare, qvalis ille ſit, qvem celebras, qvàm qvalis eſſe debeat. Qvod ſcio Eraſmum aliqvando ad ſui defenſionem attuliſſe, cùm objiceretur, ipſum in Principibus qvibuſdam extollendis nimis liberalem fuiſſe. Mitto igitur ad te illam epiſtolam cum duabus adjunctis Dni Poelenburgi, ut de ea facias, prout ipſi videtur. Vale 25. Februar. CIϽ IϽ C LVIII. *Tui ſtudioſiſſimus Stephanus Curcellaus.*

§. VIII. Amborum & Epiſcopii & Curcellæi Præceptor & Doctor fuit Jacobus Arminius (vernaculum nomen *Jacobus Hermanni* fuiſſe dicitur) Veteraqvinas, per anagramma à nonnullis VANI ORBIS AMICUS, qvàm verè, neſcio, dictus, è cujus aliqvot ejus manu exaratis, in præſenti ſeqventem hanc evulgamus epiſtolam. *Jacobus Arminius Joanni Uytenbogardo meo ſalutem & benè per Chriſtum agere precor. Intellexi, hominum amiciſſime, te vix patriam Urbem ingreſſum in gravem febrim incidiſſe, contractam procul dubio ex nimio deſiderio, & feſtinatione ex eo, ſalutaris iſtius negotii perficiendi. Intellexi hoc & dolui, tùm meâ cauſſâ, tùm Eccleſiæ in univerſum noſtræ, præſertim iſtius. Tuâ autem cauſſâ gaudeo, qvem in negotio Chriſti & Eccleſiæ pro officio ſatagentem morbus invenit. Maximum enim interpretor honorem tibi habitum à communi Salvatore Chriſto, qvòd morbum, cui ut homo, Adami ſoboles, obnoxius es, ut ſtrenuo & fideli ſuo militi immiſerit: naturæ neceſſitatem in religionis prærogativam*

tivam & fidelis ſervitii teſtimonium tibi convertens. Gaude itaqve & tu, & ita cogita, mortem nobis obtingere magis ſalutarem & honorificam non poſſe, qvàm ſi in aſſignata ſtatione poſitos, & in curriculo deſcripto currentes adoriatur & profliget: ipſâ qvippe victoriâ ſuâ victam ſe & profligatam à Chriſto agonothete noſtro profeſſa, cui ſe ſiſtere neceſſe habet, qvando ille ſuos athletas coronare etiam per illam inſtituit. Velim te convenire & tecum colloqvi ſi lubeat, ſignifica tantùm an die Lunæ ſeqventi ibidem ſis futurus, ſpero enim tum integrum mihi fore, niſi qvid puerperæ uxori, aut recens natæ filiæ ſiniſtri, qvod DEUS avertat, acciderit. Significa etiam, qvô pactô morbus habeat, qvem velim, ut qvantum Eccleſiam Chriſti, qvantum teipſum, qvantum me amas, omnibus modis cures, & cum eo teipſum. Vale, mi amiciſſime. D. Jeſus tibi adſit, & felicem tibi ex omnibus difficultatibus exitum benignus concedat I. Kal. Jul. 1593. ſtilô Gregorianô Amſterdami. Tuus.

Inſcriptio. *Eerſamen Diſcreten, Vromen, Welgeleerden Joanni Uytenbogaert getrouwe bedienaar des H. Euangelii nu tot tijt woonende tot Utrecht, te bevragen by* Joannes . . . *prædicant aldaer.*

§. IX. Qvandoquidem verò ſub initium hujus Animadverſionum partis c. II. §. II. p. 30. Acontii mentionem fecimus, placet aliqvam ejus edere epiſtolam, neſcio ad qvem ſcriptam. Cùm enim αὐτόγραφον admodùm vetuſtum, ſemilacerum & attritius invenerim, titulô ac inſcriptione demtâ, integram ſaltem eam cetera nanciſci potuiſſe mihi gratulatus ſum. Ecce eam. *S. Pergratæ mihi tuæ literæ fuerunt, qvibus me liberè ſimul atqve peramanter, qvæ in libello meo annotaveris, mones. Si qvando ejus nova*

adornanda fuerit editio. meminero, qvatenus operæ precium videbitur, tuarum animadverſionum, & commodum ſupervenerunt verſionem in vernaculam lingvam noſtram aggreſſuro. Ut autem ad eas tibi ſingillatim reſpondeam: non eſt præſentis otii, neqve meæ in ſcribendo ſegniciei. Illud non prætermittam: te multis locis haud maximâ dexteritate verba interpretari. Niſi fortè monere voluiſti, non tam qvid te offenderet, qvàm qvæ anſa relicta tibi videretur parùm candido lectori cavillandi. Sed ſcito, me non Æſopo aut Euthydemo, (cujus nomine eſt Platonis qvidam Dialogus inſcriptus) neqve ſimilibus ſcribere, qvi dent operam intelligendo, ut nihil intelligant: ſed iis, qvibus ſunt aures ut audiant, orationemqve ad popularem conſvetudinem accommodamus, non ad cavillatorum ineptas argutiolas. Qvæ eſt enim oratio ſive in qvotidiano ſermone, ſive in qvovis ſcriptorum genere (ne ipſius qvidem DEI verbô exceptô) qvæ, niſi aut ex ſubjecta materia, aut ex præcedentibus, ſeqventibuſve temperetur, aut niſi ſubaudiatur aliqvid, aut niſi aliâ qvâpiam ſimili ratione ſuſtineatur, plurimis maximiſqve abſurdis futura non ſit referta? Ac niſi cognitum habes, qvomodo etiam ex communi & uſitata loqvendi conſvetudine ſæpe verba aliud habeant in cortice, aliud in medulla: facito tibi familiarem Andreæ Alciati libellum de Verborum ſignificatione. Etſi autem non eſt otium ad ſingula tibi reſpondendi: cùm tamen unum ſit, qvod te præter cætera offendiſſe videatur, Sabellii videlicet exemplum: committere nolui, ut non ſaltem in eo ſententiæ meæ rationem tibi patefacerem. Illud autem intelligere te arbitror: ſive ſenſerit Sabellius, qvod dicitur; ſive minus, me non laborare: ſed tantùm exemplô, qvemadmodum cujuſ-

vis

vis confeſſio exploranda ſit, voluiſſe declarare: Age igitur rem qvæſo ſic mecum diligenter expende. Ait Dominus Joh. *VIII. 24. niſi credideritis me filium DEI eſſe &c. non vivetis. Si qvis ergo dixerit: Sabellius non credit, Chriſtum DEI filium eſſe, & tamen vivet: fateberis profectò hanc orationem Domini verbis contradicturam; & cùm neceſſe ſit, Domini verba vera eſſe, hanc orationem falſam eſſe oportere. Si igitur evinci poſſit, qvòd Sabellius non crediderit Chriſtum DEI filium eſſe, palam factum erit, ſupradictam Domini damnationem ad eum pertinere. Id autem ut faciam, paulò altiùs rem repetere oportuerit. Nemo non intelligit, aliud eſſe rem, puta montem, aliud notionem, & qvaſi imaginem qvandam montis, quæ eſt in cujuſqve animo, qvi aliqvem viderit montem: aliud autem vocabulum, qvô eam notionem & imaginem ſignificamus. Qvod vocabulum ita eſt notionis imago, ſicut notio eſt imago ipſius rei. Ac qvemadmodùm eadem res apud omnes eſt eadem: ita cujuſqve rei notio apud omnes nationes, & omni ſeculô eſt eadem. Sed notionum vocabula non ſunt apud omnes eadem. Siqvidem qvod Latini montis vocabulô & ſignificant, & intelligunt: aliô vocabulô Germani, aliô Angli, alii aliis appellant. eademqve ratio eſt tum ſingularum notionum vocabulorumqve, tum orationum, & earum notionum, quæ orationibus ſignificantur. Et qvamqvàm intelligimus, aliud qviddam eſſe notiones, aliud vocabula & orationes, qvibus ſignificantur: nos tamen notionum locô, vocabulis & oratione utimur, non ſolùm ad ſignificandum eas alteri, ſed etiam ad eas animô nobiſcum agitandum. nemo autem dubitat qvin eadem dici cogitariqve poſſint valdè diverſis vocabulis, & diverſis lin-*

gvis, & ſi duæ qvæpiam lingvæ eiſdem uterentur vocabulis, ſed aliô ſignificatu: contingere poſſet, ut eadem oratio (verborum ex qvibus conſtaret reſpectu) aliud uni populo ſignificaret, aliud alii. Ex qvo intelligere licet, qvum dicitur qviſpiam aliqvid credere vel non credere, horum verborum non eam eſſe vim, ut dicamus, illum apud animum ſuum talibus uti vocabulis, aut tali oratione: ſed potiùs ſignificamus, qvæ notiones in illius ſint animo, vel non ſint. Qvare qvùm exigitur à nobis, ut credamus, Chriſtum DEI filium eſſe: profectò non exigitur, ut de Chriſto cogitantes filii vocabulô utamur, aut ut filii vocabulum illi tribuamus, ſed potiùs ut ei illam notionem tribuamus, qvam Latini ſignificant vocabulô filii, aliæ nationes ac lingvæ aliis vocabulis appellant. Qvapropter ſi ea de DEO & Chriſto pronunciat Sabellius, ut in Chriſto non relinqvat locum ei notioni, qvæ filii DEI vocabulis ſignificatur: conſeqvens erit, ut non credat eum DEI filium eſſe. nihil enim ſignificatur aliud, qvùm dicitur non credere qvòd ſit DEI filius, qvàm qvòd non eam de ipſo habeat in animo notionem, qvam ſignificamus vocabulis filii DEI. Palam eſt autem non poſſe eum eandem notionem ſimul habere ac non habere. Niſi hæc plana, aperta ac perſpecta ſunt, etiam profectò utrùm omnino ſim, dubitavero. Sed hinc omnia deſtrui objicis, qvæ à me præclarè antè conſtructa fuerint. Siqvidem qvod dicis eſſet neceſſariò conſeqvens, profectò malim palinodiam canere, qvàm negare qvæ luce meridianâ ſint clariora. Sed non ita eſt, aliud eſt enim rei notio talis, qvalis eſt in cujuſqve hominis animo, qvi qvô vocabulô qvid ſignificetur eatenus intelligit, ut neqve aliud pro alio intelligat, neqve aliud pro alio nominet,

net; aliud definitio, qvæ pleniſſimè naturam & eſſentiam rei cum ſuis attributis omnibus deſcribat, qvalem ſæpe ne doctiſſimus qvidem aliqvis poſſit aſſeqvi. Proindè ut ad tuam argumentationem reſpondeam: etiamſi detur, plenam Meſſiæ definitionem, vel potiùs deſcriptionem, & qvaſi hiſtoriam illa omnia, qvæ recenſuiſti, complecti: ſimplicem tamen vocabuli illius notionem tam multa complecti nego. Neqve ſanè rem manifeſtè veram turpiter nego: ſed rem, qvam putem, atqve adeò exploratam habeam, nunqvam probari poſſe. Qvòd Sabellium arbitraris, credidiſſe, Chriſtum DEI filium eſſe, ſed ita, ut Patrem haberet non alium, qvàm ſe; & cum Sabellio complures alios: ſi hoc vis, tribuiſſe illos Chriſto filii appellationem, concedo tibi. ſed qvòd retinuerint vocabuli notionem eam, qvam vulgò filii appellatione intelligunt omnes, & ſimul eum voluerit eſſe ſui filium: tales cogitationes non minùs pugnant inter ſe qvàm ſi qvis cogitet, Chriſtum eſſe DEI filium, & non eſſe. Neqve tamen non veriſſimum eſt, uſuvenire poſſe, ut qvis pugnantia ſimul credat. Sed non eadem pugnantium omnium eſt ratio. qvædam enim ita pugnant, ut interjecta ſint media qvædam, qvibus mediis tegitur occultaturqve contradictio, ac ſi parietes eſſent interpoſiti; & ejuſmodi credi ſimul poſſunt; minimè etiam mutatâ Verborum ſignificatione. Intelligimus autem mediorum nomine illa ipſa, qvæ Dialectici in Syllogiſmis media appellant, quæ qvum oratione ac ſyllogiſmis diſponuntur, qvaſi è medio tolluntur, & qvomodo ſeſe habeat extremum ad extremum pateſit. Qvò autem longior eſt mediorum ſeries, qvæ contradictionem tegant: eò faciliùs contingere poteſt, ut ſimul credantur pugnantia. qvemadmodùm

nemo eſt, qvin adſenſurus ſit principiis illis & experimentis, ex qvibus demonſtratur, Solem terrâ multis partibus majorem eſſe. Si ènim principiis & experimentis illis hoc, ut Sol terrâ ſit major, neceſſariò eſt conſeqvens: qvi illa affirmaverit, & hoc negaverit: pugnantia profectò poſuerit. Contrà verò, qvò pauciora ſunt media, eò minùs occultatur contradictio, minuſqve relinqvitur errori locus. Nunc videamus, qvalis ſit contradictio: ſi qvis rei cuiqvam vocabulum ſuum uſitatum accommodet, oratione autem notionem detrahat, qva vocabulô illô ſignificatur. Certè qvidem aut intelligit is vocabuli, qvô utitur, ſignificationem, novitqve cujus notionis ſit qvaſi imago, aut non novit. Siqvidem novit, & tamen vocabulum ipſi rei tribuit, neqve ſimulat: certè cum vocabulo etiam notionem ei tribuit. qvare ſi aliâ poſteà oratione notionem eamdem illi adimit: profectò ſciens ac prudens idem ipſum & affirmabit, & negabit. Ut autem cùm perſpicuè videat, ſe idem ſimul affirmare ac negare, etiam verè utrumqve ſe facere opinetur: prorſus monſtroſum qviddam fuerit dictu. Sin autem non intelligit vocabuli ſignificationem, & tamen illud rei tribuit: cùm videri non poſſit id tribuere, ut nihil ſignificet: tribuat igitur neceſſe eſt, ut ſignificet aliqvid. Cùm nolit autem rei notionem eam convenire, qvam vocabulum illud uſitatè ſignificat: conſeqvens eſt, ut utatur ad notionem aliam ſignificandam, qvô fiet, ut ſi non verborum corticem, ſed mentem ſpectes, is non idem affirmare & negare videatur, ſed aliud affirmare, aliud negare. Qvùm autem inter ea, quæ pugnant, multa ſint interjecta media: etiamſi retineantur uſitata verborum ſignificationes, latere nihilominus poteſt repugnantia, nihilqve impedit, qvo mi-

minùs ſimul credantur. qvod in ſupraſcripto exemplo de Sole ac terra perſpicuè intelligi poteſt. Cùm igitur notio ea, qva filii vocabulô ſignificatur, ejuſmodi ſit, ut non intelligatur convenire, niſi ei, qvi patrem habeat, habuèritve non ſeipſum, ſed alium: neget autem perſpicuè Sabellius Chriſto alium eſſe patrem, qvàm eum ipſum: negat profectò, Chriſtum DEI filium eſſe. Et qvamqvam verbotenus fateatur tamen Chriſtum DEI filium eſſe, neceſſe eſt aliud qviddam eum ſignificare, qvàm qvod verba ſonant. Qvòd ſi mihi objicias: cùm hic alterutram orationem ab ejus mente diſcrepare neceſſe ſit: aut eam, qvâ affirmat Chriſtum DEI filium eſſe, aut eam qvâ negat, alium eſſe patrem, alium verò filium: non magis dicere nos poſſe, qvòd affirmatio ab ejus mente diſcrepet, qvàm negatio; ac proinde damnari eum non poſſe, tanqvam qvi neget, Chriſtum DEI filium: reſpondeo; qvi ita loqvitur, ut certò non appareat eum agnoſcere id, qvod ſit creditu neceſſarium: eum pro Eccleſiæ membro agnoſci non poſſe, etiamſi non conſtet, id eum negare & fortè ejus habendus ſit locô, cujus ignoretur fides. Jam te facilè videre poſſe arbitror, eô, qvod de Sabellio diximus, nullô modô labefactari, qvæ ſtabilieramus ante: neqve id nobis temerè excidiſſe. De tuo ſcripto cœptum erat apud Brietum deſcribi, ſed nondum deſcriptum eſt. Tua ſcriptura plena eſt obſcuriſſimis compendiis, ut non ſit facile idoneum invenire ad illud deſcribendum. Qvam expectas autem à me in illud operam, eam tibi prorſus polliceri non poſſum. Valde ſegnis ſum ad ſcribendum; & ut abſolvam, qvæ jamdudum inchoavi, vix adduci poſſum. Sed qvamprimùm habuero exempli copiam, non recuſabo annotare, qvæ mea ſit qvôqve locô ſententia.

tia. Ipſe deinde tuô judicio perficies. De eo, de qvo dudum mecum, & cum Brieto egeras, profectò nihil video, me poſſe, & cauſas tibi jam indicavi. Si poſſem, nihil conarer libentiùs. Vale in Domino. Londini 8. Idus Junii M.D.LXVI. Ex animo tuus in Domino Jac. Acontius.

§. X. Claudam hoc caput rariſſimâ qvâdam epiſtolâ Andreæ Duditii (ita enim inveni ejus nomen in MSto, cum aliàs â ſcriptoribus ſemper Dudithius ſcribatur) ab Horehovizza, Pannonii, JCti, Epiſcopi Qvinqvecclesienſis, (ut Petrus Svavis Polanus VI. Hiſtoriæ Concilii Trident. p. m. 483. edit. qvinctæ Gorinchemenſis de anno M.DC.LVIII. in 4to deterioris optimâ. Elzevirianâ, vocat, qvamqvam paullò ante eundem & *Tininienſem* in p. 440. nominet) trium Imperatorum Conſiliarii & Oratoris, Tullianæ eloqventiæ Sectatoris admirabilis, viri litteris inſigniter exculti, & rerum Politicarum uſu probati. Interfuit is Concilio Tridentino, in qvo varias orationes habuit, qvarum duæ, altera de Communione ſub utraqve ſpecie, altera de ſacerdotum conjugio tunc per Germaniam publicatæ ſunt. Meminit & d. l. Polanus. Vitam ejus prolixè deſcribit Aug. Thuanus Hiſtor. l. xcvi. in fine p. m. 476. Qvem adducens Philippus Caroli, librô XIV. c. 1. Aphor. III. p. 523. ſ. Animadverſionum in Gellium ita inqvit: *Mirum verò, ac bis mirum & illud eſt, qvod fide digniſſimus Hiſtoricus idem* (Thuanus) *refert de Andrea* Dudithio *viro natalium claritate, ingeniô, omni ſcientiarum genere exculto; qvi aliqvandiu aulam Cæſaream Ferdinandi* I. *& Maximiliani* II. *ſectatus, poſtea ob admirabilem eruditionem & morum ſvavitatem, Epiſcopus Qvinqvecclesienſis deſi-*

deſignatus fuit; magnaſqve legationes etiam ſub Rudolpho II. *ſummâ felicitatis & prudentiæ laude obivit, & vitâ functus eſt annô 1589. Is Dudithius, ſi qvod otium nactus eſt, in Mathematicis artibus ingenium exercuit, & arctam cum* Joh. Prætorio, *harum ſcien-„tiarum in Altdorphina noſtra Profeſſore clariſſimo, „amicitiam olim contractam renovavit, & per lite-„ras totâ reliqvâ vitâ coluit. Biduô ante mortem, qvod multis admirationem poſtea peperit, ad Prætorium literas dederat, qvarum in ima clauſula, poſt varias de rebus Mathematicis qvæſtiones, propriâ manu hæc verba ſcripſerat:* Eclipſis Lunæ 15. hujus menſis incidit in Aqvarium, qvi meus horoſcopus eſt. Si vera eſt Aſtrologia, mortem mihi affert, aut graviſſimum aliqvem morbum. Tu qvid cenſes? *Vix hæc ſcripſerat, & mors eum comprehendit. Convenit cum hac divinatione, qvod &* in Chronologicis meis *retuli, de* Maximil. I. *Imp. ſex annis ante fata, fata ei prædicta eſſe à* Georgio Thanſtetero *Mathematico, qui eclipſin in ejus horoſcopum inciſuram præviderat.* Hæc Philippus Caroli. Exſtat & in VI. Epiſtolarum libro Paulli Manutii XXII. ejus hunc ad Duditium epiſtola p. 408. in qva gratulatur ipſi de Epiſcopatu Qvinqvecclesienſi, eumqve hortatur, ut hanc dignitatem ad gloriam DEI conferat. Nomen Duditii, qvod notandum, in impreſſis libris omiſſum eſt: qvia Duditius hic poſteà abdicavit. ſe Epiſcopatu iſtô, & Religionem Euangelicam amplexus, Uratiſlaviæ domicilium fixit, ibiqve mortuus eſt, annô CIↃ IↃ. LXXXIX. Joh. Henr. Hottingerus in p. 49. Scholæ Tigurinorum Carolinæ de hoc ita ſentit: *Non obſcuro de Schola Pædotribæ, ſed* Dudithio, *Epiſcopo Qvinqvecclesienſi (quanto prius in caſtris Philiſtæis Goliatho; vix nomi-*

nete-

netenus ad tempus noſtro, turpiſſimo verò tandem deſertori, Antitrinitario) ſcopuli & ſcrupuli erant eximendi. An liberum ſtatuerit, qvod Maimbourg. lib. XII. Hiſtor. Arianiſmi apud Chriſtoph. Sandium in Append. ad Nucleum Hiſtoriæ Eccleſ. p. 91. de eo dixiſſe fertur, *vel credere, vel non credere præexiſtentiam* Filii DEI *ante nativitatem ex carne?* nunc non diſputo. Accipe tantùm ſeqventem ejus hanc in præſens epiſtolam. *Clariſſ. vir. S. Ab ineunte ætatula mea magnum in animo meo erga te amorem alui, ob eximiam in omni genere doctrinam tuam, qui ita cum ætate ac judicio crevit, ut jam ne iis qvidem concedam, qvi tibi naturæ ipſius nexu colligati ſunt. Teſtatus id ſum perſæpe tùm alibi, tùm coram filio tuo in Tridentino Concilio. ac ſemper optavi mihi dari occaſionem teſtificandæ meæ erga te voluntatis, qvam ſi tu vides, obteſtor te, ut mihi eam indices. re ipſâ experieris, qvàm tui amans, qvàm ſtudioſus ſim. Qvod qvidem ut eò liberiùs facere in animum inducas, en tuô beneficiô prior uti volo. qvod mihi ſat ſcio, qvæ tua eſt humanitas, non denegabis. Scripſi ſuperioribus menſibus ad Erneſtum Vögelin, typographum veſtratem, ut te officioſiſſimè nomine meô ſalutaret, ac tuô conſiliô uteretur in qværendo Mathematico aliqvo docto, qvi mihi domeſticam operam navaret. Ad ternas meas literas homo officioſus jam â tot menſibus nihil reſpondit. nunc ſcribit ad me vir optimus D. Paulus Fabricius, qvi has tibi reddet, te de Joanne Prætorio qvodam mentionem injeciſſe. De qvo tibi magnas gratias ago. Si qvis tuo exqviſitiſſimo judicio comprobatur, jam nihil eſt, qvod amplius ſim ſolicitus. Sed tamen, ut magis ac magis perſpicias, qvalem ego hominem cupiam ſcripſi ea de re tota ad D. Fabricium. Oro te, mi Camera-*

merari eruditiſſime, ſi hunc Prætorium intelligis, communicatô cum D. Fabricio conſiliô, meis uſibus aptum fore, evoca eum, & ſtatim ad me mitte complectar eum, vel tua cauſſâ, amantiſſimè. Sed de re omni ex meis ad D. Fabricium literis rectiſſimè conſtituere poteritis. Quod ſi is non erit talis, qvalem deſcribo, rogo te, de alio cogitationem ſuſcipe. magnum beneficium dabis. Cupio intelligere ad qvod tempus hunc habere poſſim. Fac me qvoqve certiorem, ubi filius tuus, amiciſſimus meus, medicinam faciat. Audio, te præter Procli hypotheſes, præclaras alias in Mathematis lucubrationes habere, rogo te, ſi qvid eſt, aut qvidqvid ejuſmodi eſt, fac mihi deſcribendi copiam. Amanuenſibus, qvos ad ſcribendum adhibebis, pro manu pretiô liberaliter ſatisfaciam. Pergratum mihi feceris, ſi indicaveris titulos, & nomina librorum tuorum, qvos ſive jam edidiſti, ſive edere cogitas. ſum enim elegantiſſimorum ingenii tui monumentorum ſtudioſiſſimus, ſi qvis alius & ut ſic loqvar, ſitientiſſimus. Exiſtimo autem me penè omnia habere, qvæ in vulgus emanârunt. Habes, mi Camerari, qva in re mihi maximè gratificari poteris, ſi voles, qvod confido. Tu viciſſim jure tuô mihi impera. Oro DEUM, ut hanc totam tractationem ad qvam te accitum eſſe ajunt, reipubl. commodo, tibiqve ornamento, & ſempiternæ gloriæ eſſe velit. Si qvid dignum memoriâ præſtare vultis, ſi vobis hominum ſalus cordi eſt, ut eſſe debet, in eam curam incumbite, ut veritatem nobis, detractô omni fucô Papiſticô, puram putam proferatis, & ê tenebris in lucem revocetis. Sed vos videritis, qvibus DEUM affore ſpero. Vale mi præſtantiſſime D. Camerari, méqve mutuo dilige, & reſcribe: Craſª. prima 8tobris. 1568. Tui amantiſſ. & ſtudioſiſſ. Andreas Dudítius.

D. Rhe-

D. Rheticus amantiſſ. tui diligenter te ſalutat, & ſcire cupit, an litera à ſe tibi reddita ſint, qvas Vratiſlaviam tibi illinc tranſmittendas ante hos qvatuor menſes miſit. Scribo ad D. Fabricium de opere Aſtrologico Cypriani. Si in eo impetrando juvare me poteris, rogo te, interpone authoritatem tuam. Inſcriptio *Clariſſ. viro D. Joachimo Camerario; Dn. & amico obſervando ſuo.* Judicium Celeberrimi multæqve lectionis Theologi Gisberti Voetii de Andrea Duditio habetur in Exercitatione de Prognoſticis Cometarum, & eſt tale: *Andreas Dudithius*, inqvit in p. 21. edit. Amſtelædamenſis annô M. DC. LXV. in 4to. *generis nobilitate, ingenii elegantiâ, ſeculari eruditione, dignitate & auctoritate Romano-Eccleſiaſticâ (qvippe Epiſcopus Qvinqvecclesienſis, & nomine cleri Ungarici ad concilium Tridentinum miſſus,) dignitate politicâ, cum Imperatori eſſet à conſiliis, oppugnatione Papatus & acceſſu ad noſtram religionem, denique multorum eruditorum aliorumqve magnorum virorum amicitiâ celeberrimus; poſt* Marcellum Sqvarcialupum (*qvem ipſe doctum & acutum philoſophum ac medicum prædicat) & poſt* Scaligerum *contra omnes qvalecunqve præſagium Cometarum admittentes animosè ſcripſit, in* epiſtola ad Cratonem medicum Cæſareum. *Sed in tota illa diſſertatione non minùs, qvàm alii paradoxi, mihi aërem ferire videtur, qvod qvæſtionis controverſæ ſtatum prius non explicaverit. Negat Cometas cauſas efficientes malorum. Negat Cometas lumine ſuô, aut aliis affectionibus, ſingularia eventa certò pronuntiare. Qvæ omnia cum argumentis & amplificationibus ſuis ad colores Rhetorum, aut potius ad fallacias ἀγνοίας ἐλέγχου & ἑτεροζητήσεως relegando ſunt. Negat per experientiam conſtare, Cometas eſſe nuntios malorum,*

lorum: tota, *inquit*, ab adverſaria parte ſtat; proque ea multa, plura, & veriora, ne dicam omnia, teſtimonia dicit. *De qva aſſertione paradoxa contra hiſtoriarum & teſtium nubem, infra videbitur. Nunc ſolum præcognoſcendum, eruditiſſimum hunc virum in paradoxi hujus defenſione aliqvô Scepticiſmi & Epicureiſmi afflatu, non minùs qvàm peregrinantes & exulantes Italos modò recenſitos, actum fuiſſe. Poſt multas enim, variaſqve fluctuationes, circuitiones, in atheiſmos pectore conditos erupit & apertè in* θεομαχούντων *caſtra conceſſit. Cùm aliqvæ ſuſpiciones ſolummodo ad* Thomæ Eraſti *aures perlatæ eſſent, omne conſilium de familiaritate aliqva per literas cum* Dudithio *inchoanda ilico, & qvidem prudenter depoſuit. Audi ipſum in epiſtola ad N. qvæ in* Centuria *Goldaſti eſt* LXX Intelligo etiam ex tuis, hoſpitium tibi dediſſe generoſum & illuſtrem virum, D. Andream Dudithium, cujus ego virtutem & doctrinam ante multos annos mirificè audivi prædicari. Invitatus ſæpius fui à Polonis, & imprimis à domino N. Laſizio, ut ad eum literas darem: nec ego alienus ab ea re fui. Metui tamen, cùm occaſio nulla ſcribendi, &c. Itaqve me continui, nec multò poſt audivi eum in ſuſpicionem aliqvam veniſſe, qvaſi Arii dogmati faveret. Paulo poſt: *appellat* ſcelus tam nefarium, *qvod Dudithio intentabatur. Et proteſtatur*, à nullo errore & peccato in omni vita ſe alieniorem fuiſſe. *Poſtea concludit*: Attamen cum de re ipſâ nil mihi conſtiterit, & ne nunc qvidem conſtet aliqvid, optima ſperare volui (& jam etiam ſpero,) nihil tamen faciendum mihi cenſui, qvod adverſariis meis iniqviſſimis occaſionem præberet ſuam improbitatem excuſandi. *Qvid dixiſſet* Eraſtus, *ſi eum non tantùm alicujus*

erga

erga Arii dogma inclinationis ſuſpectum audiviſſet, ſed & palam in θεομαχούντων *caſtra vidiſſet tranſiiſſe; &* Lucianum, Celſum, Julianum *Imperatorem*, Porphyrium, *alioſqve fidei Chriſtianæ hoſtes, omnes tamen viros literatiſſimos, ponè ſecutum fuiſſe; blaſphemiis inſuper in Servatorem noſtrum eructandis plurimos impietatis illius ſocios Socinianos ſuperâſſe.* Arrianiſmum (*teſte* Bezâ epiſt. XVI.) nemo unqvam in eccleſia, aliud eſſe ſenſit, qvàm atheiſmum. *At qvanto magis de abominando Sociniſmo hoc dicendum eſſet. Cujus dogmata, non obſtante moderatione & tolerantiâ Remonſtrantibus Belgicis qvaſi in qvarto modo propriâ, (uti præ ſe ferunt) à* Grotio *multâ eruditione longè celebriori*, Dudithiô, Sarmatica portenta appellari audias: in Pietate Ordinum. *Ego novum Saduceiſmum & Epicureiſmum ex Italia per viros ſuprà indicatos ſuperiori ſeculô allatum, ſed Chriſtianæ Theologiæ terminis & pannis qvibuſdam tectum, appellare malim. De* Dudithii *dubitationibus anteqvam Sociniſmum apertè profiteretur videri poterit* Cl. Joh. Hoornbeeck in apparatu ad Socinianiſmum confutatum pag. *61.* *Et* Beza epiſt. 1. *Idem in adjectis ad epiſtolam dedicatoriam poëmatum editioni annô 1569. præfixam: annô 1576. ſic loqvitur.* Et hæc qvidem olim ego de te, apud te, vir ampliſſime. A qvo tempore plurima, ut tu noſti, inciderunt, qvæ multis noſtrarum partium amicis tuis diſplicuiſſe non ignoras. Imprimis autem tua illa tam diuturna de veræ Eccleſiæ notis dubitatio non paucos offendit. Efficere tamen iſta non potuerunt, qvo minus cum hæc noſtra recuderentur, &c. *De horrendis ipſius in Deum blaſphemiis, & plus qvam Arrianis atheiſmis, fidem facit* Epiſtola ejuſdem ad Laſizitium (fortè *Laſizium*) *equitem Polonum*

ann.

ann. 1590. *typis edita*, *cujus exemplar olim habui: qvam æternis tenebris ſepultam, qvàm recuſam mallem.* Geverhartus Elmenhorſtius *in utraqve literatura, & antiqvitatibus tum profanis tum eccleſiaſticis verſatiſſimus*, *inter cæteros* Trinitatis hoſtes conjuratos *hunc unum* Dudithium *ſibi delegit, ex qvo ſpecimina impietatum & blaſphemiarum exhiberet: hôc additô elogiô:* Qvòd ab orbe condito ex Orci faucibus nullum (*illô ſcriptô* Dudithii *ad* Laſizitium) prodierit peſtilentius: In epiſt. dedicatoria ad Georgium Hampelium (l. Stampelium) *Superintendentem Lubecenſem edit. Gr. Latinæ opuſculorum Procli Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ann.* 1617. *præmiſſa. Et hoc qvidem eruditiſſ. hujus viri judicium: ad qvod noto* Servetum & Valentinum Gentilem *non minores blaſphemias in Deum noſtrum evomuiſſe, ac* Dudithium: *ſiqvidem* Calvini *excerptis in libro contra* Servetum, & Aretii *excerptis in Hiſtoria* Valentini Gentilis cap. VIII. *fides habenda ſit. Hæc de* Dudithio *hîc monenda duxi, ne improvidi & rerum novarum avidi ſplendore & famâ viri, qvâ ante deplorandam apoſtaſiam apud literatos paſſim & Theologos Reformatos pollebat, perculſi, ab operum Dei admiratione & pia contemplatione abducerentur.* Et pag. 81. *Si cui ad manum eſt catalogus Cometarum* Lavateri, *aut catalogus prodigiorum* Lycoſthenis, *aut* Petri Johannis Twisk *vernaculô ſermone conſcriptus, is exigui temporis lectione hiatum Dudithii, & ſectatorum ejus facillimè obſtructum videbit. Ego cùm initiò ſtatuiſſem Hiſtoricorum exhibitionem craſſæ & audaci iſti ἀνιςορησίᾳ opponere: poſtea conſilium mutavi, imprimis, qvod innotuiſſet, Clariſſ. & Amiciſſ. Collegam noſtrum Berckringerum Philoſophiæ Practicæ & Eloqventiæ Profeſſorem in eo eſſe, ut hunc*

Dudithianum faſtum retunderet : cujus tractatus de Prognoſticis Cometarum propediem in lucem iturus eſt. Item pag. 92. ſ. *Suppeditabatur mihi ab amico Concio ſideralis doctiſſ. Thelavii habita Dantiſci annô* 1653. *ex cujus lectione p.* 32. (*in notis marginalibus*) *diſco, Eliam Majorem Uratiſlavienſem etiam cenſuiſſe,* Cometas omnia bona portendere. *Qvis vir ille fuerit neſcio :* (Ego ſcio , fuit Poëta Laureatus Cæſareus, Gymnaſii patrii ad D. Eliſabethæ Rector & Profeſſor, ceterarumqve ſcholarum Inſpector , librô de Varianda Oratione ad Lectionem veterum & ſermonis puri copiam parandam imprimis neceſſariô & eruditô clarus Jenæ impreſſô M.DC.LXXXIV. in 8t.) *hoc ſaltem ſcio audax illud aſſertum à Dudithiano non abludere. Et fortè Dudithii fama & in orbe Europeo per tot annos æſtimatio , cum ſpecioſo ratiuncularum & dictionum choragio , virum hunc incautum & Dudithianæ apoſtaſiæ ignarum , à ſuorum via trita via tuta, in avia iſta abduxerunt. Sed multiplex eruditio, aliaqve inſignes Dudithii dotes, non magis veritati, pietati, & Chriſtianiſmi conſenſui præjudicare debent ; qvàm Juliani apoſtatæ Græcanica literatura , cum prudentia politica, fortitudine militari, & apice imperatorio conjuncta. In qvem duæ orationes invectivæ piiſſimi & diſertiſſimi Nazianzeni ab hiſtoriarum ſtudioſis aliqvando legi poterunt.* Et p. 94. *Ante diem unum atqve alterum cùm datâ occaſione in* Melchiore Adamo *legerem vitam* Qvirini Reuteri *Theologi Heidelbergenſis, deprehendebam etiam ab illo refutationem epiſtolarum* Rodingeri *& Monavii de prognoſticis Cometarum conſcriptam ; idqve poſtulante Dudithiô, cujus filiorum ſtudiis domi ipſius tunc præfectus erat. Miratus ſum ab aliqvo autorum, qvos hactenus videre*

dere contigit, tractatum illum Reuteri, non indicatum fuiſſe. Cogor. dicere, cum poëta,

Ἐν δοίῃ μάλα θυμός,

Animus valde in dubio eſt. *An fortè refutatio illa non ſit edita? An verò tractatus, qvi exſtat ſub nomine* Dudithii, *ſit* Reuteri, *ſive qvod ad materiæ comportationem, ſive qvod ad ſtyli exornationem? Qvod ad Reuterum, ſi tale qvid inductione Dudithii tunc ab illo factum, putarem aſtrologicas divinationes & ſpeciales applicationes ab illo fuiſſe impugnatas; aut ſi ulterius progreſſus ſit, in juvenili ætate in domo & ſub anhelitu ac ductu patroni ſui Dudithii ſcriptum fuiſſe: ſed alium & longè mutatum fuiſſe ab illo Reutero præfectum Collegii Sapientiæ, & Theologiæ profeſſorem Heidelbergenſem: tunc præſertim, cum* Nicolai Ciſneri *opuſcula (ex qvibus tam luculentum pro prognoſticis teſtimonium ſupra* cap. v. *exhibemus) Heidelbergæ ederet.* Hæc ibi Voetius. Iſte verò Nicol. Ciſnerus, cujus in fine mentionem injicit, fuit Juriſconſultus ejuſdemqve Profeſſor Heidelbergenſis, Conſiliarius Palatinus, Adſeſſor Cameræ Spirenſis & Polyhiſtor, cujus Opuſcula Politico-Philologica eruditionem olent. Memorat & illa Qvirinus Reuterus in Epiſtola CCLXV. p. m. 319. Epiſtolar. Viror Cll. & Doctorum ad Melch. Goldaſtum, Francof. edit. cIↄ Iↄc LXXXVIII. in 4to. his verbis: *Alterum etiam ex Kopfio cognoſcere velim: an* Nicolai Ciſneri Opuſcula Hiſtorico-Philologica *velit impenſis ſuis edenda curare? qvod ante ſemeſtre pollicitus eſt.* Et p. 333. Ep. CCLXXVIII. *Ceterum de* Duditianis & Ciſnerianis *qvid P. Kopf tandem ſtatuerit, quæſo diſertè perſcribas. Si conditionibus iis, qvibus annô ſuperiori mecum egit, non volet jam Duditiana imprimere, mihi velim remittat, ut hîc vel Man-*

heimii edantur citiùs. Sin velit iſthic; mittat mihi ſpecimen, ut videam, quâ formâ & literâ &c. Cuperem enim eleganti typô & chartâ imprimi. Ciſneriana, ſanè bella opuſcula, ſi Lancelloto vel Schrammio daret imprimenda, gratum mihi foret. Expectabo plánum reſponſum, ut ne diutius in ſuſpenſo haream. Et p. 335. Epiſt. CCLXXX. *En mitto reliqva* Duditianis *adjicienda: qvæ rogo per otium perlegas, & ſi qvid mutandum videatur, proximis moneas. Librum ſpero fore utilem Eccleſiæ. Poteram afferre plura: ſed ne appendix Duditii tractatus excederet, compendiô ſum uſus. Imprimis addidiſſem lubens παραλειπόμενα* qvædam Thuani, *non extantia in editionibus vulgatis, ſeorſim autem clam Lutetiæ impreſſa: ſed conatum meum inhibuit D. Lingelsheimius, qvi ſine ſcitu Thuani ea publicari cenſet inofficioſum & iniqvum. Curæ, qvæſo, ut iſta* Duditiana rectè, *bellè, in charta bona, edantur, eô ordine, qvem Index iſte, qvem cum Titulo hîc mitto, monſtrat: ne Typographicarum operarum incuriâ magnum aliqvod erratum committatur. Id pro tua autoritate facile conſeqveris apud P. Kopf. cui ſal. pl. & opuſcula iſta, meumqve ſtudium & laborem oro commendes, ut tantò benigniorem aut æqviorem ſe prebeat. Planè perſvaſus ſum, iſta fore ipſi lucroſa plurimùm. Nil reſtat niſi ut præfationem & Vitam Duditii pertexam, qvod brevi fiet. Interim aliqvas paginas impreſſas videre velim, ſi commodè mitti qveant. Secundô locô jam transmitto* Ciſnerianorum Opuſculorum *librum primum; qvem opto P. Kopf. ſtatim prælo ſubjicere. Brevi ſubmittam* Lib. II. qvi continet tractatus de Hiſtoriis Cranzii, Aventini, migrationibus priſcorum Germanorum, geſtis Ludovici Bavari contra Papam, de

Jure,

Jure, & Juriſconſultis claris inde à Romanis ad æ-tatem *noſtram, de Duareno & aliis. Lib.* III. *etiam amœna miſcellanea, ſacra & philologica complecte-tur. Urge quæſo* Kopfium *ut opuſcula hæc ſuſcipiat. Manheimenſis noſter Schram brevi iſthuc veniet, & ſi* Kopf *temporis anguſtiam cauſabitur, ac cum Schram-mio convenire velit, ipſe poterit librum* 2. *&* 3. *in ſuo Typographeo imprimere, ut ſic totum opus abſolvatur ad inſtantes nundinas: De qvo ſententiam veſtram audire cupio. Schram juvare poteſt, & volet. Deni-qve qvia Duditianis valde congruent Vergeriana, Venetis, opinor, grata & utilia futura: qvid ſi nonnulla ſelecta vel excerpta ex iis, unà cum illis Sturmianis, qvæ ante hac tibi miſi, de Emendatione Eccleſiæ, &c. & Epiſtolis ἀμοιβαίαις Sadoleti, &c. ſimili forma ederentur?* Item p. 338. Ep. CCLXXXII. *De Ciſnerianis ſatisfaciam P.* Kopffio*, & Juridicos ejus tractatus conqviram, ut Opera omnia conjungantur. Sed hæc Juridica proprium Tomum conficient.. Meum ſcopum animadverto non intelligi. Solùm Hiſtorica & φιλόλογα, pleraqve ex manuſcriptis Authoris χαλκο-γράφου, deſcripta nec ante edita, compingere in unum volumen ſtatueram: eò qvòd talia miſcellanea ſtudio-ſis omnium facultatum jucunda forent. Hæc ſepara-ta ſint à Juris explicatione, neceſſe eſt. Liber primus, qvem proximè miſi, & aſſervari incolumem cupio, continet, qvidem orbes, illas à D. Frehero editas, qvi præcipitavit, me dolente, & moram petente: ſed vides, qvàm vitioſè & deformiter impreſſæ: qvàm à me ſint correctæ ſingulis paginis. Et eæ jam diſtractæ, ſicut & paucæ editæ ſunt; teſte Freherô. Cæſares illos primô locô collocavi jure ſuô: addidi Palatinos.* Secundus liber *continebit hæc, in pagella iſta conſigna-*

 ta.

ta. Tertius elegantiorum *tractatuum miſcellanea; carmina, epiſtolas: Addam vitam autoris, conſanguinei mei.* Tandem p. 343. Ep. CCLXXXVI. *Duditiana nova Budingenſium cenſura ſubjecta fuiſſe, vix æqvô animô ferre qveam. Eâ ſanè hic non opus erat, meum verbum aut judicium noſtris abundè ſuffeciſſet. Opto videre folia aliqva, priuſqvam mittam præfationem.* Auctore Cl. Borrichiô Diſſert. IV. de Poëtis Latinis p. 128. § 154. *Non defuit calor Poëticus Nic. Ciſnero ſive Epithalamia ejus intueamur, ſive quæ de veris præſtantia, & commodis æſtatis hexametrô commentatus eſt.* Breviùs de Duditiô nos docet doctiſſ. D. Hoornbeeck, Paſtor olim & Profeſſor in Eccleſiis & Academiis Ultrajectina & Lugdunenſi, ſeqventia nobis in p. 61. Adparatus ad Controverſias & Diſputationes Socinianas relinqvens. *Andreas ille Dudithius natione Hungarus, Qvinqvecclesienſis (qvod oppidum eſt Pannoniæ) Epiſcopus; vir doctus & celebris, variis legationibus à Ferdinando, Maximiliano Cæſaribus adhibitus, Concilio etiam Tridentino Hungarorum nomine epiſcopus tum adhuc Tinnienſis (de qvo Auctor* hiſtor. Concil. Trident. lib. VI. *Thuanus, Hiſtor. lib.* XCVI. *&* CIV.) *interfuit, ubi duas elegantes habuit orationes, de communione ſub utraqve unam, alteram de Sacerdotum conjugio, valde diſertas: nam tantus orator, & Tullianæ eloqventiæ admirator ſectatorqve erat, ut (referente Thuanô) totum Ciceronem ter propriâ manu deſcripſerit. Poſtmodùm relictô Papatu, ductâ uxore, nobili puella Sophia Gonicella, in qvam ſingulari modô inciderat, in Polonia Regis aula, qvum à Maximiliano miſſus legationem ibi obiret; in religione meliùs qvid fugiendum ſibi eſſet, qvàm qvid ſectandum, vidit, deſertô Papatu fluctuatus diu, neqve Eccleſiis*

Reformatis additus, à Socino interim & ſociis ejus artificioſè illectus, & ſpecioſò vanæ inſaneque rationis lenociniô abductus eſt in teterrimam eorum, abnegatæ S. Trinitatis hæreſim: in quam rem ſcripſit epiſtolam ad Johannem Laſicium, *Equitem Polonum, nuper iterum editam, unà cum ejus refutatione à Cl. Mareſio: quam jam ante legeram excuſam, ex bibliotheca celeberrimi Gomari. Quanti Beza Dudithium fecerit, quàm Chriſtianè dilexerit, & ſollicitè confirmare in veritate, adverſus moleſtas illas animi fluctuationes, quibus jam in Papiſtas, jam in Samoſatenianos propendere videbatur, anniſus fuerit, oſtendit epiſtolâ eleganti & prolixâ ad eum ſcriptâ, quæ inter epiſtolas Bezæ eſt prima, ſcripta* A. MDLXX. *Et inter Zanchii epiſtolas* lib. I. *eſt una ad eundem Dudithium, de vera Eccleſia: eadem ſuper re, ob quam ad Bezam, quoque ad Wolphium, Tigurum* A. M D lxix. *ſcripſerat Dudithius, nimirum, quô pactô in noſtra Eccleſia, ſiquidem ſit vera, tot exiſterent diſſenſiones de variis religionis capitibus. Ad quod abundè & ſolidè ei reſponſum: neque tot ac tantas illas eſſe inter noſtros contentiones, neque quæ ſunt, eſſe rationem ſuſpicandi de Eccleſiæ veritate, quin potius eſſe argumentum ejus approbandæ, pro perpetuo & communi Eccleſiæ hic militantis, & infirmitatis humanæ ſtatu.* Scripſit *Dudithius quoque* Orationes, & monita politica, *quæ Offenbachi impreſſæ extant Ann.* M. DC. X † *In Bibliotheca Bodlejana Oxoniæ habentur ejus lib.* de Cometarum ſignificat. Orationes in Concilio Tri-

† *De his antè paullò audivimus Quirinum Reuterum ad Goldaſtum ſcribentem, utpote qui illa curavit. Hic adjicio ex ejuſdem Epiſtola CCXCVIII: p.* 361. *hæc:*

dentinó habitæ. Apolog. ad Maximil. II. Epiſtola de hæreticis capitali ſuppliciô afficiendis. *Et* Vita Cardinalis Poli. *Etiam Lipſii eſt ad eundem Dudithium epiſtola, inter epiſt. Lipſii* Cent. I. epiſt. XCII. * *Ab anno M D. LXXX. leguntur Socini ad eum epiſtolæ, qvibus in eandem cum eo hæreſim abiit. Præſenſiſſe illum mortis ſuæ inſtans tempus, ſcribit Florimundus Ræmundus*, lib. IV. cap. XII. *qvum ad prandium ab amico invitatus, reſponderet, extra omnem morbi ſenſum vel ſuſpicionem, excuſatum ſe haberet, eò qvod tempus ſibi eſſet aliò proficiſcendi, ultimumqve naturæ debitum perſolvendi. Joh Wtenbogardus hunc qvoqve Dudithium inter ſectæ ſuæ Progenitores memorat, hiſtoriæ ſuæ* part. II. Hæc Hoornbeeckius. At aliter de eo ſentit G. Michaël Lingelshemius in epiſtola

hac: Duditiana certè deproperantur. Præfatio cenſuræ noſtrorum ſubjicienda erit. Cùm ante mercatum liber non diſtrahatur, puto rem moram ferre. Duditius epiſtolam illam, de qva ſcribis, ſi vivus vidiſſet, abominatus eſſet. Cracoviæ qvidem ab Arianis Italis eò deductus eſt, ut more ſuô diſputaret pro & contra (qvod ipſi meritò vitio datum) ſed poſt refugit, & damnavit illas impias ſententias. Excuſavit ſe apud multos: ad me qvoqve ſcripſit de epiſtola ad Bezam: Illarum ſcriptionum me pudet & pœnitet. Contra Socinum ducem Sectæ quoqve diſputavit literis. Plura aliàs. Paginas impreſſas expectabo.

* *Dudithii epiſtolam, ad qvam hic reſpondet Lipſius habes in p. 163. Sex Decadum Epiſtolar. Lipſii prætermiſſarum Offenbaci excuſarum* CIↃ I C X. *in* 8*r. n.* XXII.

ſtola CCCVIII. Cll. & doctorum Virorum ad Melchiorem Goldaſtum p. 370. D. *Qvirinus*, inqviens, *mihi indicavit ſe Dudithiana qvædam, meô ſvaſu, apud vos edere, atqve in eo, tuâ operâ ſe uſum, te majorem in modum oro atqve obteſtor, ut in utiliſſimo opere nihil intermittas. Virum illum colui vivum & veneror mortuum: ob ſummam olim in me demonſtratam humanitatem, ſed magis ob probitatem, doctrinam, veritatis ſtudium, & ἦθ☉ illud perfectum viri boni & præſtantis, Scio labem ejus famæ aſperſam ob commercium cum Arianis, ſed mihi de ejus recta fide in Chriſtum & pia morte conſtat. Tu fac ut qvàm perfectiſſimè iſta edantur. Habes multas ipſius inſignes epiſtolas, qvas edere cupio qvoqve. Ubi videris, probabis ſat ſcio.* Et in alia inedita hactenus epiſtola, mihi ab amico communicata planiùs hoc de Duditio mentem ſuam aperit, qvam in Lectoris gratiam ex MSo Lingelshemii ipſo hîc ſubjicere volui. *S. Meritò te amo, qvi tam promptus es in præſtando, qvidqvid cupere me intelligis. Gratias debeo, etiam viro clariſſimo Pratorio, qvi tam candidè judicium ſuum patefecit: ſed ego putabam, lectum ipſi Theſaurum temporum Scaligeri, & ſcire avebam, an Clavium jure & meritò exagitet magnus ille vir in tertio Iſagog. Chronolog. & an verum ſit, tam fœdè hallucinatum Lojolitam illum, qvi tantum nomen in Mathematicis adeptus. verùm tanti non eſt, ut denuò optimo ſeni negotium fiat. rectè tu, qvi ipſum urges, ad publicè commodandum, néve nobis poſteritatiqve invideat, tam præclarè ab ipſo excogitata & inventa. Eſt autem & aliud ſuper qvo aurem ipſi velli velim: ne, qvæ habet Dudithiana, ſupprimat: debet id memoriæ magni ſui amici. Epiſtolas ſaltim, qvas ha-*

 bet

bet ab eo innumeras, perire nolim, & ſi laborem ſeligendi refugit, colligi tamen eas velim & amicis communicari; ego ſatis grandem earum numerum obtinui, & editionem molior, ſi ipſe aliiqve juvent. Solitus eſt enim divinus ille vir per epiſtolas tractare qvæſtiones conſideratione valde dignas, & eâ ratione ſcribendi uſus eſt, qvam ego rectiſſimam judico, & juventuti ad imitationem proponendam. Beabis me, ſi qvid extricaveris. Rationes tuas libenter cognovi & conſideravi περὶ φωνήσεως ad Landgr. Mauricium, & mihi ſatisfactum abundè, atqve in ſermonibus amicorum, tueri tuum factum neceſſe habui, qvi rationes tuas non ſatis aſſeqvebantur. Pichena edidit Tacitum, per Marnii officinam, ita ut decet, & qvemadmodum velim bonos auctores omnes tradi. Placebit, ſcio, ubi videris. In Cæſarem moliebatur aliqvid Gruterus, ſed hæ nundinæ non videbunt; præclara multa repperit in ſcriptorem optimum, & tot commentariis vexatum. Salutant te amici, Præſes, Loefenius, Freherus. Credo libellum hunc te cum voluptate lecturum, Lutetiâ mihi ſuppeditatum à ſummo noſtro Bongarſio, recuſumqve Spiræ. Vale amicorum eximie. Salveat & Prætorius ac Rittershuſius. Heidelbergâ XIX. *Februarii* CIƆ IƆ CVII. *T. T. Lingelshemius.* Inſcriptio. *Clariſſimo & excellentiſſimo viro, Dn. Scip. Gentili, Juriſconſulto, & Anteceſſori, Dno ſuo colendo. Altorphium.*

CAPUT V.

§. I. Singulare qvid narrat p. 844. edit. Haidelberg. M. DC. XX. Melchior Adami in Vita Conradi Gra-

Graſeri Franci, Explicatione Danielis, ſub titulo *Hiſtoriæ Anti-Chriſti illius magni*; & Apocalypſeos, qvam *plagam regiam* vocavit, clari, veluti & *Ultimis ſuis verbis* egregiis & æternâ memoriâ digniſſimis, in qvibus oſtendit, Jeſum Chriſtum filium DEI & Mariæ virginis eſſe verum illum promiſſum Meſſiam, qvi jam venit, & officium ſuum pro mundi vita moriendô abſolvit: cum *in vivis adhuc dum eſſet, teſtamentô caviſſe, ne corpus ſuum exanime, magna cum pompa funebri, aut cum aliqvo ſplendore, ſed ſimpliciter; honeſtè tamen*, & non in aliqva Baſilica, *locô videlicet olim ab Idolis & Idololatris profanato, ſed in communi cœmiterio extra urbem ſepeliretur: qvod minimè in templis convenire exſtimaret mortuorum cadavera collocari; in qvibus vivos homines ad cultum Deo præſtandum convenire tantum decet. Prætereà*, pergit Adami *ſuperſtitione non caruit unqvam illa in Baſilicis ſepeliendi conſvetudo. Itaque ſepultus eſt in cœmiterio extra urbem ad ædem D Georgii publicè, qvod nuper ad imitationem aliorum in Germania cœmiteriorum exſtructum.* At ut taceam de univerſo noſtro Belgio, ſanè in qvamplurimis Germaniæ locis, magiſtratuum, Miniſtrorum verbi, Profeſſorum, imò & civium, aliorumqve honeſtorum hominum funera templis infodiuntur omni ſine ſuperſtitione. *Terra ſanè ubivis eſt Domini*, Pſalm. XXIV. 1. dicebat mihi aliqvando ſuper hac cùm colloqveremur re Reformatus Doctor. Scio qvidem plerumqve mortuos extra urbem ſepultos olim eſſe, ut è locis 2 Reg. XIII. 21. Luc. VII. 12. Matth. VIII. 28. Joh. XI. 30. 31. ſimul conlatis conſtat; & vel in collibus ſeu montibus, Joſ. XXIV. 33. 2 Reg. XXIII. 16. vel in agris, Geneſ. XXIII. 9. 19. 20. L. 13. Joſ. XXIV. 32. Sic peregrini

in

in agro ſeorſim ſepeliebantur Matth. XXVII. 7. Religio enim erat Judæis, peregrinis ex aliis nationibus conjungi, etiam mortuis. Vel in hortis 2 Reg. XXI. 18. 26. Joh. XIX. 41. 42. Vel ſub arboribus Geneſ. XXXV. 8. 1 Sam. XXXI. 13. Vel in domibus ſuis. 1 Sam. XXV. 1. 1 Reg. II. 34. At & in civitatibus eos conditos eſſe qvandoqve, videmus in regibus Judæorum in civitate Davidis terræ mandatis 1 Reg. II. 10. XI. 43. XIV. 31. XV. 24. & in illis exemplis profanis qvæ adducit doctiſſ. Kirchmannus noſter II. Funer. Rom. c. XXVI. XXVII. ceteris præ ſcriptoribus laudatus Thomæ Dempſtero in Paralipom. ad Roſini Antiqvitat. Romanar. lib. V. c. ult. p. m. 628. a. ut qvi *qvatuor libris ſolemnitates Funerum Romanorum hinc inde ex omnigenis Scriptoribus anteà diſperſas in unum corpus redactas complexus ſit.* Qvamqvàm ut nihil diſſimulem, ex hiſtoriis conſtet, omnes apud fermè gentes extra civitates mortuos ſepultos fuiſſe; ne tetrô cadaverum odore & homines infeſtarentur, & aër corruptus, peſtilens atqve exitialis evaderet. Qvare & uſus ille, qvi jam apud Chriſtianos obtinet, mortuos in templis ſepeliendi, non modò rationibus multis, verùm etiam omnium ferè gentium factô ac judiciô improbatur. Dico *ferè.* Qvod enim Cl. Dn. Joann. de Mey Eccleſiaſtes olim Medioburgenſis, Medic. Doctor & Scholæ Curator ac Catechiſta in p. 89. 90. c. I. Commentar. Phyſicor. Mediobugi Zeeland. annô M. DC. LXI. in 4. excuſorum ſubjicit: *Nulla enim unqvam natio fuiſſe videtur, qvæ in templis, ſive locis, cultui ſacro dicatis mortuorum corpora ſepelire fas eſſe exiſtimaverit;* aliqvibus nimis poſſet univerſale videri; cùm Græcos antiqviſſimos caſcô illô ævô in ipſis Deorum templis fa-

faniſqve mortuos ſuos humâſſe multis oſtendat Arnobius (non librô V. ut malè habetur in Kirchmanno II. de Fun. Rom. c. ult. p. m. 269. edit. Lugdun. Batav. annô 1672. in 12. ſed librô VI. p. m. 193. edit. optim. Lugdun. Batav. CIϽ IϽ CLI. in 4to.) his verbis: *Qvid? qvod multa ex his templa, qvæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur, contegere cineres atqve oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas? Ex eo nónne patet, & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, qvorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis? In hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem eſſe mandatum terræ: in templo rurſus ejuſdem, qvod in arce Lariſſæ eſt, conditus ſcribitur atqve indicatur Acriſius: Erichthonius Poliadis in fano: Dairas & Immarus fratres in Eleuſino conſepto, qvod civitati ſubjectum eſt. Qvid? Celei virgines non in Cereris Eleuſinæ humationis habuiſſe perhibentur officia? non in Dianæ delubro, qvod in Apollinis conſtitutum eſt Delii, Hyperocha, Laodicéqve, qvas advectas illuc eſſe finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymæo Mileſio, Leucophryna monumentum in fano apud Magneſiam Dianæ eſſe, Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, qvæ Telmeſſi apud oppidum viſitur, Telmeſſum eſſe conditum vatem, non ſcriptis conſtantibus indicatur? Ptolemæus Ageſarchi de Philopatore qvem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni ſua, immò cum omni proſapia in Veneris templo ſitum eſſe, literarum auctoritate declarat.* Hæc Arnobius, mutuatus auctoribus Canterô in notis h. l. p. 27. & Kirchmannô d. l. exempla illa à Clemente

mente Alexandrino in Protrept. p. 13. & Theodoreto contra Græcos Serm. VIII. de Martyrib. p. 115. Qvi tamen auctores templorum originem apud Ethnicos ad ſepulchra potiùs unô ore referunt; qvemadmodùm & Valerius Maximus librô VIII. c. XV. (non XVI. ut Kirchmannus II. de Funer. c. ult. habet) Extern. 3. auctor eſt, *Græciam ſummô conſenſu locum, in qvo Amphiraus humatus ſit, in formam conditionemqve templi redegiſſe, atqve inde oracula capi inſtituiſſe.* Porrò qvod Dn. de Mey addidit: *Lycurgus qvidem legitur prope templa mortuorum ſepulturas admiſiſſe, verùm in templis id uſqvam factum fuiſſe non video.*) *Verba Plutarchi in Lycurgo, de hoc ejus inſtituto hæc ſunt: Sepeliendi qvoqve ratio à Lycurgo optimè eſt ordinata. Primò omni ſuperſtitione ſublatâ, mortuos intra urbem humari, monumentaqve prope templa poni non prohibuit: hujuſmodi ſpectaculis adoleſcentes adſvefaciens, ne mortis recordatione perturbarentur, eamqve ne exhorrerent, qvaſi eos, qvi cadaver tetigiſſent, aut per ſepulchrum tranſiiſſent, polluentem*: id aliter habet. Do verba Plutarchi ex editione Lutet. Pariſ. anni M. DC. XXIV. Καὶ μὴν, inqvit in p. 56. B. καὶ τὰ περὶ τὰς ταφὰς ἄριστα διεκόσμησεν αὐτός· πρῶτον μὲν γὰρ ἀνελὼν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν, ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς, καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνήματα τῶν ἱερῶν, οὐκ ἐκώλυσε, συντρόφους ποιῶν ταῖς τοιαύταις ὄψεσι καὶ συνήθεις τοὺς νέους, ὥστε μὴ ταράττεσθαι, μηδ᾽ ὀρρωδεῖν τὸν θάνατον, ὡς μιαίνοντα τοὺς ἁψαμένους νεκροῦ σώματος, ἢ διὰ τάφων διελθόντας· i.e. interprete Hermannô Cruſeriô JCto: *Sepeliendi qvoqve ritum ille diſpenſavit optimè. Primùm omnem eximens ſuperſtitionem, funerare in urbe extinctos, & habere ante oculos rerum monumenta religioſarum non interdixit,*

dixit, qvòd innutriri vellet talibus ſpectaculis & adſveſcere juventutem ne trepidarent vel horrerent mortem: quaſi eos, qui feralia attrectant aut commeant per ſepulcra, polluat. Vide tamen & Andreæ Riveti epiſtolam inſertam Variorum Tractatib. Theologicis de Peſte p. m. 61. ſ. edit. opt. in 12. CIↃIↃCLV. Lugdun. Batav. in qva & mos cadavera mortuorum in templis ſepeliendi redarguitur; qvod & facit Clar. Heidegger. Diſſertat. ult. Tomi I. Diſſertationum §. XXIV. ſ. p. m. 809. ſ. edit. Tigurinæ M. DC. LXXIV.

§. II. Ceterùm à jam extructis per orbem Evangelica ſub luce templis, ad honorificam pii Chriſtiani ſepulturam obſervatus eſt mos, defunctorum corpora vel in templis, vel in cœmeteriis, ut vocant, ſepelire: non autem in qvovis, etiam profano, loco. Doceo. Ambroſius l. 1. de Patriarcha Abraham c. IX. memorans, ut ad ſepeliendum uxoris defunctæ corpus locum emerit Abraham, dicit: *Feſtinavit pro loco ſepulchri pretium ſolvere, qvùm gratis ei daretur: ut non in alienis locis, ſed noſtris potiùs ædificemus tumulos parentum vel proximorum: Hoc autem ideò Abraham fecit, qvia nondum erant ejuſmodi templa, in qvibus fidelium in Domino reliqviæ conderentur.* Cùm dicit, ideò Abrahamum in empto agro uxoris corpus ſepeliiſſe, qvia nondum erant iſtiuſmodi templa, in qvibus fidelium reliqviæ conderentur, apertiſſimè docet, ſuô tempore, qvô jam erant iſtiuſmodi templa, fidelium reliqvias, ſeu corpora in templis aut ſacris locis recondi conſvetum fuiſſe. Aliàs enim fruſtrà rationalem ſuperinduxiſſet. Gregor. Nazianzenus Orat. II. in Julianum refert, *celeberrimas poſt exſeqvias Conſtantii corpus in ſepulchro, qvod in Apoſtolorum templo exſtructum erat, poſitum fuiſſe.* Apud

Oecumenium in tractatu XII. Apoſtolorum nominum: qvem qvis ſcripſit, ut illic patet, annô Domini CCCXCIX. de B Marco Euangeliſta dicitur, *qvòd Alexandriæ ſit ſepultus in Bucolis cum Iſtare, qvi primus in Licia martyr fuit, qvem Alexander tranſtulit: poſuitqve ubi omnes poſiti ſunt Epiſcopi.* Qvod nobis argumento eſt aliqvot ab ſeculis ritum eum eſſe ſervatum, ut non paſſim & ubiqve ſepelirentur epiſcopi, ſed in ſtatuto peculiariqve loco. Nolo advocare Damaſcenum in Hiſtoria Barlaam & Joſaphat narrantem, ut Rex Barachias cum populo ſuo, ipſorum ſanctorum corpora ab eremo tranſlata & ſolemnibus exſeqviis honorata depoſuerit in templô, qvod Joſaphat erexerat; cùm de judicio Voſſii in II. de Hiſtoricis Græcis c. XXIV. p. 281. Jo. Tritthemius in de Scriptoribus Eccleſiaſticis planè fallatur, qvod illam Hiſtoriam ab antiqviori Damaſcenô ſcriptam ait. *Nihil enim cauſſæ eſt*, pergit Voſſius, *cur alium putemus, qvàm illum ſub Leone Iſauro. Sed hîc aliud etiam in controverſiam venit, an hæc Damaſceni hiſtoria ſit genuina? Vix videtur. Nam qvô pactô potuit Rex Joſaphat, recens ad Chriſtianam religionem converſus tot ſe tueri teſtimoniis Scripturarum, qvas nunqvam legiſſet? Sed enim, dixerit aliqvis, ὕλα ipſa ac fundamenta diſputationum verè perſcribuntur: ſolùm Damaſcenus ea ſtylô ſuô diduxit, & ſanctæ Scripturæ verbis munivit. Inclinat eò Herebertus* (lege *Heribertus*) *Roſweidus.* (Jeſuita) *At ecce alterum telum. Hiſtoriâ in ea jubetur filius regis credere in Spiritum Sanctum à Patre Filioqve procedentem. Qvod Damaſceni ſententiæ repugnat: ut liqvet ex lib. I. de Fide c. XI. Neqve video, ut difficultati huic occurri qveat; niſi dicamus, ab Latinis*

nis ea eſſe adjecta. Sanè in Billiana editione non habentur, ſeu ea præter codd. veterum fidem Billius ſuſtulerit, ſeu adjecerint priores. Scrupulum qvoqve injicere poſſit, qvòd Billius in Codice qvodam adſcriptum reperit nomen Joannis Sinaitæ: qvi temporibus vixit Theodoſii Senioris; ut conſtat ex Paulli Diaconi Hiſtoriæ Miſcellæ libro XIII. Imò complures inveniri MSSos Græcos, in qvibus Sinaitæ illi tribuatur, jam alii monuerunt. Sed eum non eſſe auctorem, evincit idem Billius: *qvi hiſtoriam hanc à Trapezuntio, vel alio non paullò antiqviori, parum fideliter verſam, majori fide ac curâ tranſtulit; deqve auctore ejus ſolidè diſſeruit.* Qvæ ſanè Voſſii rationes, etſi in reipſa non ab eo diſſentio, ita ſunt comparatæ, ut adductas ille ipſe refellat. Enimverò qvod ad *ſecundum telum*, ut Voſſius vocat, attinet, non ab re ſuſpicatur Vaticanæ Bibliothecæ (*cui* de ſententia Cl. Petri Axenii in notis ad librum I. Fab. XII. 5. Phædri p. m. 56. edit. Hamburg. 1671. in 8t. *par eſt nulla, & nulla ſecunda*) primus qvondam Cuſtos Leo Allatius lib. II. Perpet. Conſenſ. c. II. p. 492. eam particulam ab aliena manu adpoſitam eſſe. Utut ſit de Damaſceno, Hieronymus in Epitaphio Paulæ ſcribit, *illius corpus, poſt perqvam honorificas exeqvias in templo, ſeu ſpecu templi dominicæ nativitatis eſſe conditum.* Chryſoſtomus Tomô V. Homiliâ LXVI. ad Populum Antiochenum memorat, *Conſtantini Magni filium pro magno honore cenſuiſſe haberi, ſi patris defuncti, nempe Conſtantini magni, corpus præ foribus, ſeu juxta fores piſcatoris* (Apoſtoli nempe, qvia ibi agit de Sepulchris Apoſtolorum & templis) *collocaret: & qvod in regiis janitores ſunt regibus, hoc reges piſcatoribus eſſe in monumento. Et illos* (nempe Apoſto-

 los)

los) *qvi priùs erant piſcatores, ut dominos, tenere loca interiora*: *hos verò* (nempe reges) *tamqvam inqvilinos & vicinos aulæ januam ſibi gratum habuiſſe deputari.* En ut Imperatoris corpus maximè honorari viſum eſt ex adeptione ſepulchri in porticu templi Apoſtolorum, ſeu prope fores Apoſtolici templi. Et ita jam tunc non habebatur indifferens ubivis ſepeliri: ſed & honori cedere judicabatur in templis, aut juxta, aut ſtatutis ad id locis ſepeliri. Poſteà mos hic adeo vulgo etiam invaluit, ut legibus fuerit coërcendus à Gratiano, Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus, qvos ad Pancratium præfect. urbi ſuper hac re ita reſcripſiſſe teſtatur Lex II. C. de ſacroſanct. Eccleſ. *Nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humanis corporibus exiſtimet conceſſam.* Et L. ult. IX. C. Theodoſ. XVII. Μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν. *Nullus in Eccleſia ſepeliat mortuum.* Et inter leges Caroli Magni illud caput exſtat: *Ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat* lib. I. cap. CLIX. Idipſum ſanxit Concilium Braccarenſe primum Can XXXVI. *Item placuit, ut corpora defunctorum nullô modô intra Baſilicam ſanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, de foris circa murum Baſilicæ. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſqve nunc retinent Galliæ civitates, ut nullô modô intra ambitum murorum cujuſlibet defuncti corpus ſit humatum, qvanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentiâ obtineri.* Porrò, ſi ſuperſtitionem tollas, abſit ut improbemus electionem ſepulturæ, cùm nullô modò ſuperſtitioſum aut vanum ſit, ſtatutum ſibi locum in ſepulturam deligere. Alioqvi, qvandoqvidem, ut dictum, Domini terra eſt, Pſalm. L. 12. rectè dixiſſe ajo Monicam, non referre etiamſi peregrino ſolo

cor-

corpus relinqvas referente IX. Confeſſ. Auguſtinô c. XI.

Qvô moriare locô nil refert, ad Jovis aulam
A terra ſpatium ſemper habebis idem.

Placent qvæ Caſpar Streſo in p. 7. Reſponſorum Prudentum ad Auctorem Diſſertationis (qvi Conſtantinus Hugenius fuit) de Organo in Eccleſiis Confederatis Belgii Lugd Batav. CIↃ IↃ C XLI. in 8t. reliqvit. *Mos ſepeliendi in templis ex ſuperſtitione ortus eſt: Credo: At potuiſſet etiam ſine ſuperſtitione oriri, ſicut nunc ſine ſuperſtitione uſurpatur. Sepelimus in templo, non ut in loco ſanctiore, ſed ut in loco honoratiore. Honoris, non religionis eſt, in templis ſepeliri. Fateor non eſſe ex uſu; ſed ſine ſuperſtitione eſſe contendo, & non valere argumentum ab ordine deſumptum.* Vide de honeſtæ ſepulturæ bono, & qvàm probroſum in hiſtoria Scripturæ ſacræ ſit ac luctuoſum, ordinariâ carere ſepulturâ Finckium Centur III. Can. Theolog. n XCI. p. 146. ſ. it. n. III. p. 6. 7. Frider. Balduin. Hypomnemat. Euangel. p. 705. Jacob. Laurent. in Carcere regio Homil. LXXXVII. p. 554. ſ. CX. p. 835. Adde Orationem III Danielis Heinſii ad Ampliſſ. Academiæ Curatores, & Urbis Lugdunenſis Conſules, de Monumento Scaligero ab iis decreto p. m. 44. ſ. edit. Amſtel. Elzevirianæ CIↃ IↃ C LVIII. in 12. Lites, ſimultates ac rixas inter Clericos ſeculares & Monachos, utroſqve hoc pro pecuniæ aucupio, mortuos nimirum apud ſe ſepeliendos, qvô ſic longe non parvam pecuniæ vim ab hæredibus extorſerunt, accerrimè dimicantes, recenſet Jo. Henr. Hottingerus in Analectis Hiſtorico-Theologicis, Diſſert. I. §. XVI. n. III. p. 58. ſ. Qvandoqvidem verò hæc ex occaſione à Graſero nobis data litteris commiſimus,

 clau-

claudemus cum eo qvoqve, eruditis mirum in modum commendantes dicti Conradi Graſeri Eccleſiaſtæ qvondam Thorunienſis raræ & ſelectæ eruditionis orationem *de ampliſſimo ſanctæ linguæ uſu*, ſub initium operarum Hebraicarum ab illo habitam Thorunii, ubi & cum ceteris X. orationibus, qvarum aliæ in actu Examinis anniverſarii, aliæ in inauguratione novæ curiæ, ejuſdemqve Operarum inchoatione recitatæ ſunt in Gymnaſio Thorunienſi, annô CIↃ IↃ C IV. in 4to. edita eſt.

§. III. Nimis univerſaliter in præfatione libr. 1. Grammat. Arabic. p. 5. pronunciavit Petrus Kirſtenius: *Probant etiam circumſtantiæ, hiſtoriarum ſacrarum utiliſſimæ, qvæ in nullius alterius linguæ textibus reperiuntur. qvalis eſt illa Joh. XIX. 34. qvæ exprimit, qvòd latus Salvatoris noſtri, in cruce pendentis, unus militum lanceâ aperuerit, dextrum nimirum, id quod ſummâ conſtantiâ omnes typis & calamô ſcripti textus Arabici exprimunt.* Uti de aliqvibus concedo, ita de omnibus nego. In Erpeniana à Paullo Tarnovio repetita verſione omnino ita eſt; *Sed unus ex militibus transfigebat eum lanceâ ſuâ in latere ejus dextro.* Sicuti & in Romana: *Perforavit eum lanceâ ſuâ in latere ejus dextro*, At de omnibus id velle adfirmare qvis poteſt? qvis enim omnes, qvæ in mundo ſunt, inſpexit Verſiones Arabicas unqvam? Londinenſis Arabs certè nihil dextro exhibens de latere ita habet: *Sed unus ex militibus pupugit latus ejus lanceâ.* Præterea nec antecedens verum eſt, *in nullius alterius linguæ, niſi Arabicæ, textibus reperiri, dextrum Chriſti latus perfoſſum eſſe.* Sanè textus Æthiopicus habet: *Sed unus militum fodit latus ejus DEXTERUM cum lanceæ.* Fuiſſe autem dextrum Chriſti latus apertum Gregorius Nazianzenus & Bonaventura cum aliis mox

nomi-

nominandis volunt, ac haſtam per latus contortam ad ipſum cor penetrâſſe ajunt, ut illud vulnere petitum fuerit. Qvi &, ut fidem eò majorem concilient opinioni ſuæ, ex Scripturis hûc aliqva arceſſunt. Veluti qvod Levit. I. 11. occurrit, ubi *ſacerdos holocauſtum de ovibus aut capris acceptum mactare ad latus aqvilonare ipſius aræ jubebat*. Id enim Iſychius exponit *de agno pro mundi ſalute tradito & in latere dextero vulnerato*. Qvod Ezech. XLVII. 1. *de aqvis redundantibus* habetur è latere dextro, intellexit Iſidorus librô de Paſſione, morte & reſurrect. Chriſti c. XLVIII. *de ſangvine Chriſti è latere fluente* Sed & *oſtium templi* hûc advocant *à latere dextro*, qvod ſignum fuiſſe *vulneris in latere Dominici corporis lancinato* & Rupertus obſervat in III. Commentar. in libr. Regum c. XX. Subſcribit huic ſententiæ dextro de latere vulnerato & auctor libri de Paſſione imaginis Chriſti; ait enim *Hebræos Patrum ſuorum ſeqvutos veſtigia validô ictu lanceâ latus dextrum percuſſiſſe*. Dico, *auctor*, neqve enim, ut hoc addamus, libri ejus ſcriptor Athanaſius fuit, ſed Pſeudo-Athanaſius qvidam, qvi, ut majorem ſibi apud poſteros auctoritatem conciliaret, ementitus eſt ſuum nomen, qvam fraudem ipſe nec Bellarminus Cardinalis celare voluit, ſubinde faſſus, hiſtoriam de imagine paſſionis Domini Athanaſii non eſſe. Ubi ſtudiô partium abreptus eſt, ait qvidem dubitari poſſe, an hoc opus magni ſit Athanaſii, ſed certum tamen eſſe, qvòd auctoris ſit antiqviſſimi: At extra illud conſtitutus, in de Scriptorib. Eccleſiaſtic. p. m. 60. edit. opt. Colonienſ. M. DC. LXXXIV. in 4to. adſerit, in tomo, qvô hic libellus continetur, Athanaſii qvarto, *nihil ferè eſſe, qvod verè ſit Athanaſii*. Et p. 61. *Liber*, in-

qvit, *de Paſſione imaginis Domini citatur in ſecunda Nicana Synodo, act. IV. ubi totus hic liber legitur & recipitur ſub nomine ſancti Athanaſii, ſed non videtur eſſe ſancti Athanaſii hujus, de qvo nunc agimus, ſed alterius multo recentioris.* Idqve verum eſt. nam verus Athanaſius circa Chriſti annum CCCXXXIII. ad Epiſcopatum eſt evectus; annô autem CCCLXXVIII. diem obiit extremum; ut CCCC. ad minimum annis magnô illô Athanaſiô hic ſcriptor ſit recentior, qvod probare foret in proclivi, ſi id nunc agere vellem. *Antiqviſſimi* ergò, qvod Bellarminus primùm ajebat, auctoris eſſe non potuit, ſed ut poſtmodum lingvam mentemqve corrigens rectè adſeruit, auctoris fuit Athanaſiô multò recentioris. Petrus Nannius Doctor & Profeſſor Lovanienſis, qvi primus Athanaſii Opera in tomos digeſſit, omnes tertio tomo inſertos libros habet pro ſuppoſititiis, qvi verò tomô qvartô, qvos inter hæc de Imagine Paſſionis Domini hiſtoria eſt, continentur, dignos non judicavit, qvos redigeret in ordinem, ſed typographis id operis commiſit, eò qvod multo minus pro veris Athanaſii ſcriptis illos haberet. Et ut pergamus in auctoribus dextro de Chriſti latere profeſſo agentibus recenſendis, Ivo Carnotenſis Epiſtolâ CCXXXV. *Hoſtia*, inqvit, *ſic debet eſſe poſita, ut ſuâ & calicis poſitione dextrum Chriſti latus repræſentet.* Porrò & Bernhardus ſerm. VII. in Pſalm. Qvi habitat. *Dominus Jeſus, poſt cetera in me inæſtimabilis ſua erga me beneficia pietatis, etiam dextrum ſibi pro me paſſus eſt latus fodi.* Nec aliter Innocentius III. librô II. de ſacro altaris ſacramento c. LIV *Calix ponitur ad dextrum latus qvaſi ſangvinem ſuſcepturus, qvi ex latere Chriſti dextro creditur vel cernitur profluxiſſe.* Deniqve, ut Ludolphi

de

de Saxonia, qvi legi poteſt, parte, Chriſti de vita, ſecundâ c. LXIV. verba in præſens non repetamus, Auctor Revelationum Brigittæ lib. VII. c. XV. *Infixit*, inqvit, *lanceam in ejus latere dextro tam vehementer & va idè* &c. Sed alii pugnant ſiniſtro pro latere, inter qvos eſt & Lucas Burgenſis in c. XIX. Johannis comm. 34. ſcribens: *Latus aperuit, idqve ſiniſtrum. Penetratis enim coſtis primùm, & pulmone deinde, ac tandem pericardiô transfodit cor, qvod pericardiô proximè & pulmone conſeqventer obvelatum, tametſi in medio corporis tamen ad ſiniſtram ſitum eſt magis, qvàm ad dextram* De utroqve latere videtur canere Aurelius Prudentius libri περὶ στεφάνων Hymnô XIII. 15. edit Weitzianæ Hanoviæ impreſſæ annô M. DC. XIII. qvi eſt Hymnus IIX. in edit. Heinſiana Amſtelodam. CIƆ IƆ C LXVII in 12.

Ipſe loci eſt dominus laterum cui vulnere utroqve
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.

Cui conſonat & nonus Cathemerinon libri Hymnus, cujus verſus 85. 86. ſ. tales ſunt:

O novum cædes ſtupenda vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera:
Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex ſangvine eſt.

Injicit & nonnullibi *vulnerum lateris* mentionem Leo magnus in Epiſtolis. Qvæ tamen, ſi qva eſt, difficultas per Obſervationem Grammaticam, qvâ pluralis ponitur pro ſingulari, facilè tolli poteſt, de qva vide Glaſſium III. Philolog Tractat. I. can. XXVI. p. m. 442. XXVII. p. 444. edit: tertiæ Francofurt. & Hamburg. M. DC. LIII. Buxtorf. II. Theſauri Gramm. c. IV. p. m. 377. edit. Baſil. CIƆ IƆ C XXIX. in 8t. Frantzium de Interpret. Script. Orac. LI. p. 470. edit.

Witteberg. CIↃ IↃ CXXXIV. Finckium Cent. I. Can. Theol. n. XXI. p. m. 37. Paſorem in Grammat. Græca Novi Teſtam. lib. II. c. VIII. §. 12. p. 319. Jo. Tarnov. in Jonæ l. 5. p. 26. 27. & in Zach. IX. 9. p. 230. & in Exercitationib. p. 99. Geierum in Pſalm. I. 3. p. 9. II 2 p. 22. edit. Dreſdenſ. M DC. LXVIII. in 4to. Caſpar. Bertramum in Matthæi II. 20. p. 48. qvos auctores potiſſimùm eum in finem adduco, ut diſcat ſtudioſa juventus, qvibus auctoribus uti debeat in tam neceſſariis ſtudio exegetico Obſervationibus & regulis colligendis. Placet hîc adnectere judicium Clar. Chriſtiani Ravii, qvod de Kirſtenio in p. 20. doctiſſimæ Obteſtationis ad Europam pro Oriente tulit his verbis. *Diſplicet admodùm repetita iſta verſio Gjarumiæ, & totum id, qvantumcumqve etiam ſuâ tempeſtate videbatur opus Petri Kirſtenii. Qvi cùm alios libros ad manus haberet, Alqoranum ad minimum maxima cum laude & gratiarum actione edere potuiſſet, futiles & putidas qvaſdam notas in Matheum & Fen ſecundum Huſeini Ibnſinæ conſcripſit. De qvibus non dubito ſic judicare: ex iis paucos fructum ſingularem cepiſſe. Eos verò qvi magna perficere in Arabicis velint, omnino deſerere, & non legere debere: veluti qvibus centies millies plura majoraqve & meliora reſtent perlegenda. Ne poſthàc agnitâ campi ſui laxitate, & florum innumerabilium maximâ gratiâ tanti temporis circa unam vulgarem plantam malè contriti pœniteat.* Et p. 10. *Qvis ex libris Bibliothecarum publicarum publicæ luci datur? Dic Europa, qvid editorum tibi auctorum in tanto tempore? nonne putet putida alicujus Grammaticæ, & qvæ nihil minus præſtet, qvàm ut ſit aperta ad lingvam janua: qvam ut intelligas, magnis opus ſit commentariis:*

velu

veluti nulli nobiliores ſupereſſent auctores, veluti hæc ſola bona eſſet: quæ omnium, ſi uſum reſpicias, ferè peſſima eſt, quater impreſſam Gjarumiam dico. Et paucis de Avicenna & Euclide, quæ ſuum infra locum habebunt, interjectis, pergit: *Ergone hic quieſcendum erat tam longô elapſô tempore. Et, aut nihil agetur, aut iterum aliqvis Grammaticus non minus ſuperfluus ad Arabicam lingvam qvam ſuperfluâ verſione, ſuffarcinatus edetur.*

§. IV. Locus 1 Petri III. 6. Ὡς Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραὰμ κύριον αὐτὸν καλοῦσα· clarè docet nomenclaturam *Domini* conjugibus, rerum præſertim potitis admodum fuiſſe familiarem. Syrus ex interpretatione Tremellii vertit: *Qvemadmodum Sara ſubdita erat Abrahæ & vocabat eum Dominum meum.* Qvod qvam proximè accedit ad ואדני & *dominus meus ſenuit.* Geneſ. XVIII. 12. Druſius IX. Præteritorum p. m. 375. Edit. Franeker. 1612. in 4to. è libri Muſar ſexto capite, f. 73. ſimilem adducit locum: *Stat coram eo* (marito ſuo uxor bona) *& miniſtrat ei, & vocat eum dominum ſuum. Qvod ex Sara diſcimus, quæ Abraham maritum vocabat dominum ſuum, cùm diceret, dominus meus ſenuit.* Ubi & illud: *Sapiens quædam femina dicebat filiæ ſuæ, cùm eam duceret ad thalamum: Mea filia, ſta coram viro tuo & miniſtra ei. Si fueris ei ancilla, ipſe tibi ſervus erit, & honorabit te, ut heram ſive dominam. Sed ſi extuleris te contra eum, erit tibi dominus, & tunc evileſces in oculis ejus ut una ancillarum.* P. Syrus: *Caſta ad virum matrona parendo imperat. Exaggeratur* ait Doctor noſter Gerhardus in p. 333. Comment. h. l. *hæc obedientia & ſubjectio Saræ ex eo, quòd cùm ipſa à DEO vocata eſſet* Sara, *h. e.* domina, *ac Abrahæ* de-

demandatum, ut non ampliùs eam vocaret Sari, *id eſt*, dominam meam, *ſed ſimpliciter* Saram, *id eſt*, dominam, *nihilô tamen minus & ſincerô & humili obſeqviô maritum ſuum vocavit* dominum ſuum. Gvil. Eſtius in h. l. *Exemplum cumprimis laudabile: qvòd cùm ipſa vocaretur* Sara, *id eſt* domina: *tamen virum dominum ſuum vocare non abnuit. eô nomine & illius agnoſcens poteſtatem, & ſuam profitens ſubjectionem, non ſervilem qvidem illam, ſed qvam uxor viro debeat: juxta illud*, ſub viri poteſtate eris Gen. III. 16. *Nam qvod ſeqvitur*, & ipſe dominabitur tui: (ſic enim legit. Tertullian.) *non jus dominii viro tribuit in uxorem, ſed ſignificat durum ac moleſtum mulieri futurum imperium viri, qvale eſſe ſolet dominorum in ſervos. Nam mulier virum dominum ſuum vocans non aliud qvàm caput ac rectorem ſuum eum agnoſcit.* Caput *enim* mulieris vir 1 Cor. XI. 3. *Sic aliqvando ſcriptura loqvitur de filio reſpectu parentum*: Et qvaſi dominis ſerviet his, qvi ſe genuerunt. *Eccleſiaſtici III. 8.* Audiamus & Libertum Fromondum, in cujus p. 575. b. Comment. h. l. hæc habentur: DOMINUM EUM VOCANS: *Qvia in regimine familiæ ei ſuberat, licet non ſerviliter, & qvoad jura thori etiam ei par eſſet. Dominum autem eum vocavit, qvando ad Angelum promittentem ei ſemen ſubridens dixit*: Conſenui, & dominus meus vetulus eſt. *Gen.* XVIII. 12. *nihil enim eſt efficacius ut uxor virum ſibi ad omnem obedientiam ſubjiciat, quàm ſi ei in omnibus blandè & ſolicitè obediat. Abraham verò viciſſim uxorem Sara, dominam meam, vel Principiſſam meam adpellabat: hoc enim nomen Hebraicum* שרי *ſignificat. Mutavit autem poſtea DEUS nomen Sarai in* Saram, *ſive* dominæ meæ, *in* dominam,

Gen.

Gen. XVII 15. ſignificans dominatum ejus in virum ſuum Abrahamum eſſe nimis anguſtum, cùm ipſa per Iſaac & Chriſtum filium ſuum futura eſſet domina omnium gentium Omitto Flacium, Hieron. Wellerum, Winckelmannum, A e.ium, Lorinum & Jacob. Laurentium. Loqvatur Calvinus: *Sara*, ait in h l, p. m 29. edit. opt. quæ annô M.D LVII. ex officina Joannis Criſpini prodiit, *maritum vocabat dominum. Non moratur qvidem DEUS iſtos titulos: & fieri interdum poteſt, ut qvæ maximè petulans fuerit & immorigera, hanc appellationem linguâ uſurpet: ſed intelligit Petrus, Saram ita loqvi ſolitam eſſe, qvia hanc ſibi legem à Domino impoſitam eſſe noverat, ut viro ſubeſſet.* Accedat infelix illa uxor Levitæ totâ vim ab impuriſſimis nocte paſſa, qvæ rediiſſe narratur Judic. XIX. 26. ad oſtium domûs, ubi manebat ארוניה *dominus ſuus*, id eſt, maritus, & ibi corruiſſe. & v.27. ויקם ארוניה *Surgens verò dominus ejus.* Sic Bethſeba vocat dominum ſuum Davidem 1.Reg. I. 31. יחי ארני המלך דוד לעלם *Vivat dominus meus Rex David in æternum.* Facit & hûc illud Diadumeni Cæſaris ad Matrem apud Ælium Lampridium in Antonino Diadumeno part. I. Hiſtor. Auguſtæ, c. IX. *Dominus noſter & Auguſtus nec te amat, nec ipſum ſe, qvi inimicos ſuos ſervat.* Et hoc Sveton. in Claud. c. XXXIX. 2. *Occiſâ Maſſalinâ, paullò poſt qvàm in triclinio decubuit, cur domina non veniret, reqviſivit.* Ubi Lævinus Torrentius in notis: *Propriè* dominus *dicitur, qvi domui præeſt. Rectè ergò ſe ſe mutuò hôc nomine vocabant conjuges, ut ſæpe apud JCtos eſt cernere. Sed & eò reſpexit Virgilius cùm* IV. Æn. v.214. ait:

-- Dominum Ænean in tecta (al. *regna*) recepit.

Ite-

Iterum VI. Æn. v. 397. Et (al. *Hi*) Dominam Ditis thalamô deducere adorti. Hæc Torrentius. Priorem Virgilii locum adduxit & Nonius in *Dominus* p. m. 136. b. edit. Pariſ. CIↃ IↃ XXCIII. Cui non ſolùm *Dominus* eſt *maritus*, ſed & *domini*, *mulierum amatores*. Sic & in oratione L. Valerii Tribuni plebis apud Liv. l. XXXIV. c VII. extr. *Malle patres vos aut viros, qvàm dominos dici.* Ovid. III. librô & Eleg. Triſtium v. 23. ad uxorem, ejus adventum colloqviumqve deſiderans :

Nuntiet hûc aliqvis dominam veniſſe; reſurgam.

Et v. 41.

Nec dominæ lacrymis in noſtra cadentibus ora.

Plutarchus ἐν ῥωμαϊκοῖς Tomô II. Oper. p. m. 271. D. E. edit. Lutet. Pariſ. M. DC. XXIV. Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες, λέγειν κελεύουσιν, Ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα; πότερον ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἴσεισι τῷ κοινωνεῖν ἁπάντων καὶ συνάρχειν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν, Ὅπου σὺ κύριος, καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία, καὶ οἰκοδέσποινα· i. e. *Cur Sponſam introducentes dicere jubent; Ubi tu Cajus, ego Caja? An qvia hâc conditione pacta intrat, ut particeps omnium rerum & gubernandæ familiæ ſit? itàqve hæc verba id ſignificant; Ubi tu dominus eris & paterfamiliâs, ego domina ero & materfamiliâs.* Menander apud Gellium l. II. c. XXIII. Senem qvemdam de moroſa uxore conqverentem his verbis inducit: ἡ γ᾽ ἐπίκληρος ἔχει με γυνὴ δέσποινα. *i. e. Me qvidem, ut conſtat, habet uxor Domina.* Conſvetudinis originem qvidam referunt ad Theſſalos: Heſychius: Δεσποίνας, γυναῖκας Θεσσαλοί· i. e. *Theſſali uxores vocant dominas.* Laconibus acceptum fertur â Plutarcho in Lycurgo, qvòd κυρίαι uxores dicerentur. Dicta eſt & Ceres δέσποινα· i. e. domina: filiæ

ejus

ejus Proſerpinæ nuptæ Plutoni idem nominis â Virgilio VI. Operis magni v. 397. tributum eſt. Epicteto in Enchirid. c. LXII. p. m. 77. edit. Lugdun. Batav. CIƆ IƆC LXX. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα (al. τεσσαρεσκαίδεκα) ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν Κυρίαι Καλοῦνται· id eſt. *Uxores â viris ſtatim ab anno decimo qvarto* (non ætatis, qvod ridiculum, ſed matrimonii) *domina vocantur. Ubi Delrio delirat*, ſubjicit, poſtqvam & parentheſi incluſa verba ſcripſerat, Cl. Gvalterus Donaldſonus Scoto-Britannus Abredonenſis JCtus in Synopſ. Oeconomic. c. VII. p. m. 43. edit. Roſtoch. M. DC. XXIV. in 8t. *cùm reddit, mulieres â viris, poſt decimum qvartum ætatis annum rectè dominæ vocantur: non enim de qvibuſvis mulieribus iſtîc agitur, ſed uxoribus, qvæ â maritis ita adpellabantur; ut hîc notat Simplicius, ut honeſtum hoc indigitamentum acqvirerent tot annis, maritis obſeqventes, ſicut â Latinis matresfamilias dicebantur.* At ubi Delrio ita deliret, non addit. In Adagialium ſanè primo ſacrorum libro p. 183. b. vix verbô hujus rei meminit, dicens ſe docuiſſe hanc rem Commentariô in Senecam. Evolvi & illum ad verba Senecæ in Agamemn. Act. II. v. 263. *Nec conjugem hoc reſpicere, nec dominam decet;* inveni ibi Epicteti ab illo adductis verbis hæc ſubjuncta. *Neqve enim aliæ mulieres, qvàm uxores, nec ab aliis qvàm â maritis ſic appellabantur. Sic apud Scævolam in l.* XLI. *D. de leg.* 3. *maritus ait: Peto â te domina uxor.* Hæc Delrio p. m. 319. edit. Antverpienſ. M. D. LXXVI. recentior enim ſub-titulo Syntagmatis Tragœdiæ Latinæ, Antverpiæ duobus in Voluminibus CIƆ IƆ XCIII. & XCIV. excuſa in 4to. editio inpræſens non eſt ad manus. Ceterùm, an ſi ita ſcripſit, adeò deliret Delrio

eqvi-

eqvidem neſcio. Conſeqventia non parum apud Epictetum pro iſta videntur facere expoſitione: *Proinde*, addit Epictetus, *cùm vident, ſe nihil aliud habere muneris, niſi ut cum viris concumbant: comere ſe incipiunt, atqve in ornatu ſpem collocant omnem. Qvare opera pretium eſt, dare operam, ut ſentiant, ſibi non ob aliud honorem haberi, niſi qvòd & modeſtas ſe præbeant & verecundas, cum temperantia:* Gvilielm. Fornerius Anteceſſor Aurelius clariſſ. I Selectionum c. XI. p. m. 50. edit: Hanov. M. D. XCVII. in 8r. Epicteti verbis hæc ſubdit â ſe citatis mendoſe è c. LV. *Qvæ ætas duobus annis major eſt eâ, qvæ legibus Romanis nuptiis definita eſt* §. 1. *de Nuptiis. Hæc autem appellatio in eam demum uxorem cadit, qvæ matrona, ſeu materfamilias, probitate morum, affectione & honore maritali ab ea diſtingvitur, qvæ in concubinatu domi habetur, qvæ modò* amica, *modò* ἑταῖρα, *modò* παλλάκη, *modò* focaria *dicitur &* concubina.

§. V. Etſi ἐμπλοκὴν τριχῶν, i. e. *nodos* & *plicaturas*, ſive ut II. Fulgentius reddit Epiſtol. c. XI. *implicationes capillorum* ejuſdem capitis commate tertiô non ab re S. rejiciat Apoſtolus: negari tamen non poteſt capillum decenter & honeſtè conlectum non leve modeſtiæ fuiſſe argumentum; ſicut ex oppoſito ſolutus intemperantiæ & immodeſtiæ dedit documentum minimè obſcurum. Improbam mulierem deſcribit Lucianus in Ἔρωσιν, cui σοβαρῶς ἄχρι τῶν μεταφρένων οἱ ὄπισθεν ἐπισαλεύονται πλόκαμοι, *inſolenter à tergo uſqve ad ſcapulas crines jactantur.* Ejuſdem coloris illa apud Arbitrum, cui *crines ingenio ſuo flexi per totos ſe humeros effuderant.* Probam autem & modeſtam intelligit Tertullianus lib. de velandis virginib. cap. VII.

Si autem & natura præjudicium adjicit Apoſtolus, qvòd honor ſit mulieris redundantia capillorum, qvia coma pro operimento eſt, utiqve hoc maximè virginibus inſigne eſt, qvarum & ornatus ipſe propriè ſic eſt, ut concumulata in verticem, ipſam capitis arcem ambitu crinium contegat. Et non multo poſteà cùm de mulieribus Arabiæ, non modò caput, ſed faciem etiam totam obvelantibus, dixiſſet; *Et Ethnicæ qvidem*, inqvit, *diſciplinæ meracior & (ut ita dixerim) barbarior modeſtia: nobis Dominus etiam revelationibus velaminis ſpatia metatus eſt.* Qvo minùs mirum eſt, ſi Publius Clodius, matronalem modeſtiam mentitus, calanticam qvaſi col'igendis crinibus capiti adſtruxiſſe dicatur à Marco Tullio apud Nonium: *Túne, cùm vincirentur pedes faſciis, cùm calanticam capiti accommodares?* Ideoque æditua Apollinis comam (ait Heliodorus lib III. p.m. 134. edit. M.DC.XI. in 8t.) τὴν δὲ ἀπὸ κορυφῆς καὶ ἀπὸ μετώπου, δάφνης ἁπαλοὶ κλῶνες, ἔστεφον, ῥοδοειδῆ τε καὶ ἡλιῶσαν διαδέοντες, καὶ σοβεῖν ταῖς αὔραις ἔξω τοῦ πρέποντος οὐκ ἐφιέντες: *qvæ à vertice & à fronte erat, roſis & ſoli ſimilem laurea coronabant, nec ſinebant auris indecorè jactari.*

§. VI. Mirum Voſſio videtur in tertio de Idololatria. c. IX. p. 386. b. edit: Amſterdam. in fol. M.DC.LXVIII. *Bodinum, virum alioqvi eximium, tam ſtultè ſapuiſſe, ut cometas omnes putaret eſſe animas heroum. Sic enim*, pergit Voſſius; *ſcribit II. Theatri:* Democriti ſententia in mentem mihi venit, ut exiſtimem, Cometas eſſe illuſtrium virorum mentes; qvæ poſteaqvam innumerabilibus ſeculis, tandem obituræ, (ut omnia, qvæ oriuntur, occaſum minantur) extremos peragunt triumphos, aut in cœlum ſtellatum, qvaſi ſplendida ſidera, revocantur. ac propterea

pterea ſeqvuntur fames, morbi populares, civilia bella: qvaſi civitates ac populi (à) ducibus illis optimis & gubernatoribus, qvi divinos furores placabant, deſererentur. *Ubi*, ſubjicit Voſſius his Bodini verbis, *qvod animas mori ait, id, ſi non aliud voluit dicere, qvàm verba videntur ſonare, ſanè impietate ſummâ non vacat. Tolerabilius, qvod ait, heroum animas in ſidera revocari. Gentiles qvidem facilè habuiſſet adſenſores. Imò hi animas heroum vel heroinarum, in ſidera mutari ajebant, ac propterea ſidera eſſe animata, ac intellectu prædita, & ſacrificiis, ut Deos, honoranda.* Enimverò juxta veriſſimam Cl: Joh: Henrici Urſini ſententiam in p. 40. eruditi libri, qvi S. Jeremiæ Virga Vigilans & Olla ſuccenſa vocatur, *ſunt in Bodini Phyſicis multa ejus generis, qvæ non tam miranda, qvàm Chriſtianis abominanda. Hoc tamen non ipſe putat, ſed* Theorum, *opinantem inducit; cui ipſe* Myſtagogus *ſatis frigidè regerit:* de rebus tam arduis nil temerè eſſe affirmandum. p. 222. Verè dicit Urſinus, *ſatis frigidè*. Sic enim ſolent profani ſuis in Dialogis; exempli cauſſâ Julius Cæſar (quod ipſe ſibi ſuperbum prænomen in libris tribuit, qvamqvàm Lucilii nomen à ſacro fonte, acceperit, adnotante id non ita pridem Samuele Parckerô Diſp. I. de DEO, ſect. XXVI. p. 77. 78. edit. Londinenſ. CIƆ IƆ C LXXVIII. Lucilium ſanè qvoqve Gramondus vocat cum aliis lib. III. Hiſtor. Gall. p. 210. edit. Amſtelod. 1653.) Vaninus, à Tauriſano, Theologus, Philoſophus & Juris utriuſqve Doctor, ſcriptor multo plurium ore qvàm oculis & manibus uſurpatus, in ſuis libris, qvos ad Dialogorum formam compoſuit. Et hic ipſe Bodinus in libro, cui titulus eſt: *Colloqvium Heptaplomeres de abditis rerum ſublimium arcanis*; *ſeptem* viros, Paul-

lum

lum Coronæum, Fried. Podamicum, Hieron. Senamum, Diegum Toralbam, Anton. Curtium, Salom. Barcaſſiam, & Octav. Fagnolam, operis inter ſe diviſis perpetuò confabulantes introduxit, & ſuam cuilibet eorum, qvam hîc ſuſtineret perſonam impoſuit. Primo enim Pontificiorum, ſecundo Lutheranorum, tertio ſectarum omnium, qvarto Neutraliſtarum, qvinto Calvinianorum, ſexto Judæorum, extremo deniqve Muhammedanorum cauſſam tutandam commiſit. Qvi omnes ita de fidei controverſiis diſputant, ut Chriſtiani, ſive Pontificiæ, ſive Lutheranæ, ſive Reformatæ religionis ſint, ſuccumbant ſemper, reliqvi verò, imprimis Judæi & Naturaliſtæ triumphent. Ita namqve ſcenam hanc totam Bodino Chorago ſtruere libuit, ut qvævis potiùs alia, qvàm Chriſtiana, religio plauſu comprobaretur; vel illa ſaltem Samaritanâ confuſione cum Judaica & Turcica perfidia miſceretur. Qvod eſt judicium viri eximii & reverendi maximè Dn. D. Joh. Diecmanni per Ducatus Bremenſ. & Verdenſ. Superintendentis Generalis in pag. 7. de Naturaliſmo Bodini, Lipſ. M. DC. LXXXIV. in 12. recuſo. Vulgata aliàs opinio fuit, *mentes hominum eſſe ex ignibus illis cæleſtibus immortalibus*, aut ut Epicharmus Ennii *ignem de Sole ſumptum*, apud Varronem IV. de L. L. p. m. 17. edit. opt. Durdrechtanæ 1619. Ergo ſolutas vinculis corporeis redire, unde venerant, & in ſtellas converti: unde illud apud Ariſtophanem de Pace, *verumne ſit, qvod vulgò perhibent, qvòd mortui evadant aſtra?* At magnis viris præcipuum in cœlo locum, & magna ſidera adſignavit adulatio, ut apud Poëtas, Virgilium 1. Georgic. Valerium Flaccum, Lucanum & alios.

§. VII. Hactenus crudelitas Phalaridem, notiſſimum

& crudeliſſimum Agrigentinorum, qvod oppidum eſt Siciliæ, Tyrannum, nactum majorem magiſtratum, cujus occaſione tyrannidem ejus urbis invaſiſſe dicitur Ariſtoteli, V. Politicor. c. X. (qvod non temerè alibi reperias, ſi doctiſſ. Giſanium in Commentar. audimus in illum Philoſophi locum p. m. 655. edit. Francofurt. M. DC. VIII. in 8t.) adeò infamavit, ut *Agrigentinorum tyrannus omnium crudeliſſimus* Ciceroni audiat in ſexta Verrina c. XXXIII. qvi & φαλαρισμὸν ab eo pro tyrannide dixit in XII. ad Atticum epiſtola libri VII. Confer Valer. Maxim. l. IX. c. II. Ext. 9. Plin. l. XXXIV. c. VIII. Dorotheum in libris Siculis. Plutarch. in Comparation. Hiſtoriar. Græcar. Ovid. V. Triſtium El. I. v. 53. & I. Art Am. v. 653. & in Ibin. v. 439. Sed potiſſimum III. Triſt. El. XII. Juvenal. Satyrâ VIII. v. 79. ſ.

Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ ſi qvando citabere teſtis
Incertæqve rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admotô dictet perjuria taurô.

Ubi Domitius Calderinus, Veronenſis, Secretarius Apoſtolicus in notis: *Phalaris*, inqvit, *ſæviſſimus tyrannus, qvi in Sicilia primus tyrannidem exercuit; Paurolam filium ſæpe commonefaciens, ne eumdem principatum optaret; ad ſævitiam natus, qvam matri ſomnium portendit; nam viſa eſt facem parere, cùm prægnans eſſet. Taurum à Perillo æneum fabricatum habuit in voluptatem, cùm illic incluſi homines, qvi puniebantur, ingemiſcendo per machinæ meatus delinitâ voce canere viderentur.* De *tauro* nimirum ideò Poëta meminit, qvòd Phalaris in taurum æneum mittere homines ſupplicii cauſſâ ſolebat, & flammis ſubjectis enecare: qvo tamen ipſe incluſus periit noviſ-

viſſimè. Vide Tullium Verrinâ VI. & libr. II. de Off. c. VII. itemqve Heraclidem Ponticum de Politiis p. 1003. & Eraſm. Roterodam. in Adag p. m. 153. edit. Francof. M.DC.XLVI. in fol. Sic omnes ejus de crudelitate libri pleni ſunt; at qvis de ejus virtutibus memorat? Nemo ferè, niſi, qvòd Lubinus in notis in Juvenal. cit. locum ſcribit. *Phalaris fuit longè ingenioſiſſimus, ut ex Epiſtolis ejus adparet, qvibus an in illo genere aliqvid ingenioſius unqvam ſcriptum ſit valde dubito.* Vertit illas Phalaridis Epiſtolas è Græco in Latinam lingvam Franciſcus Aretinus Pariſiis annô 1493. impreſſas, & denuò Cremonæ annô CIↃ IↃV. Prodierunt & Oxoniæ annô CIↃ IↃ CXCV. curâ Caroli Boyl. Habeo illas qvoqve, inſertas Farragini primæ Epiſtolarum Laconicarum atqve Selectarum, qvam collegit multæ eruditionis ac præſtantis ingenii *vir Cl. & ſplendor Burgundiæ*, ut audit Adamo Henrico Petri in præfat. in Gellium Baſileæ à ſe editum, 1565. in 8t. Gilbertus Cognatus Nozorenus, & Baſileæ edidit Joh. Oporinus CIↃ IↃ LIIII. in 12. Dictus Aretinus cùm nonnulla nuncupatoria in epiſtolâ Phalaridis Epiſtolis præmiſſa rara adferat nec ubivis obvia in laudem Phalaridis, repetam hîc ea in Lectoris gratiam; ſciens librum iſtum illa cum præfatione in paucorum manibus eſſe. *De Phalaride*, inqvit p.m. 211. *ut ingenuè, qvod ſentio, profitear, maximè majorum noſtrorum vel negligentiam, vel ingratitudinem admiror: qvi de tanto ac tam præclari ingenii viro, vel nullam penitus, vel crudelitatis tantùm fecerint mentionem: eoqve rem adduxerunt, ut ejus duntaxat ſævitia nota ſit omnibus. Animi autem magnitudo, liberalitas, doctrina, ingenii acumen, penitus ſileatur. Sed profectò maligni judicis eſt, unô*

vel alterô vitiô acerrimè examinatô, virtutum merita ſubticere: Neqve arbitror adeò Phalarim in eos, à qvibus inſidiis petebatur, qvàm doctos viros in Phalarim fuiſſe crudeles: Qvi verò, & unde fuerit, nemo Latinorum, qvod ſciam, meminit. Cicero & Valerius Maximus crudelitatem ejus & cædem brevi attigerunt. Euſebius Cæſarienſis tempora, qvibus tyrannidem apud Agrigentum exercuit, & ea qvidem dubia annotat: ejus autem epiſtolæ longè magis & conditionis ejus & morum præ ſe ferunt teſtimonium. Sed nunqvid ei credendum? Ego qvidem inter omnia ſcribendi genera nullum verius qvàm epiſtolas exiſtimo. Hiſtoria omnium judiciô vera comprobatur. Verùm ſi rectè conſiderabitur ſcriptorum affectus, amor, odium, metus, & id genus alia, qvin multa addant, multa ſubtrahant, nemo aſſerere dubitabit. Accedit rerum conſiliorumqve ignoratio. Neqve enim omnibus interfuerunt, & res alienas plerunqve ſcripſerunt: de qvibus difficile eſt præter eventus judicare, & eos alii aliter ſæpenumero, ut ferè uſu evenit, referunt. Epiſtolas verò, etſi in his ſimulari multa poſſunt, & diſſimulari, veriores tamen eſſe qvis dubitet? Plerunqve enim res noſtras ſcribimus, petimus, negamus, arguimus, res noſtra agitur: ex qvo maximè affectus & cujuſqve mores oſtenduntur. Qvod in hoc quoqve ſcribendi genere, tum metus, tum conciliandæ amicitiæ gratia, tum ut viri boni eſſe videantur, nonnulli ſimulant aliqvando: non ejuſmodi Phalarim contenderim. Et rectè qvidem: perlege qvæſo has epiſtolas diligenter. Et ſi illius conſiderabis ingenium, invenies in Phalaride nullum ſimulationis argumentum. Invenies maximi animi virum, qvi neminem formidet, neminem ad gratiam alloqvatur. Invenies apertæ frontis

tis hominem, qvi qvod animô, id etiam ore habere videatur: qvi nullam boni viri opinionem aucupetur: qvippe qvi & gloriam & omnium adulationem recuſet atqve contemnat. Vis in deos, in patriam pietatis exemplum? Habes Phalarim, qvi & de his piè loqvitur, & exul ad reſtituendam patriam atqve ornandam, pecunias dilargitur. Vis ſtudiorum Muſarumqve amatorem? Phalarim intuere, qvi Steſichorum poëtam inimiciſſimum captum à ſe, Muſarum reverentiâ ſervaverit. Vis liberalitatem? qvem Phalaridi præpones? Neqve enim qvòd non accipiat, ſed qvòd à ſe munera non accipiantur, ſæpe conqveritur. Qvis bene de ſe meritis gratior Phalaride? qvi manifeſtô conjurationis crimine contra ſe deprehenſum, medici ſui precibus condonavit. Qvid qvòd pluribus ſponte ſuâ pepercit? Hæc & hujuſmodi plura qvàm digniſſima principe, in his epiſtolis facilè qvis poterit intueri. Et qvod firmiſſimum eſt veritatis argumentum, ſemper ſibi conſtat. Neqve enim ullâ fieri ratione poteſt, ut ſimulandô qviſpiam ſemper eundem tenorem ſervet: ne affectu & conſcientiâ vel invitus ad animi morbos oſtendendos nonnunqvam trahatur. Cæterùm his epiſtolis nihil gravius, acutius, preſſius (& Græcorum & Latinorum pace dixerim) in hoc ſcribendi genere invenies, Cujus dicendi characterem utinam mea aſſeqvi potuiſſet oratio. Sententias tamen ſpero me aſſecutum: qvas & prudentiâ & ſapientiâ plenas, & ad benè vivendum principibus maximè accommodatas quis negaverit? Harum igitur, cùm in manus mihi veniſſent, elegantiam admiratus, dolui eas duo milia ferè annorum noſtros homines latuiſſe. Qvare non arrogantiâ (neqve enim vires meas ignoro) ſed cùm qvi ingeniô & doctrinâ valent, has

 neſcio

neſcio quâ ratione adducti, in Latinum vertere neglexerint: ego etſi ſupra vires onus me ſubiturum intelligerem, ſubii tamen, ſatius ratus incultiores haberi qvàm nullas. Crudelitatis autem, quâ omnes eum accuſant, non tantùm mihi ipſe arrogo, ut melius qvàm ipſe ſe, excuſaturum me exiſtimem. Ipſe cauſam ſuam agit: qvæ qvàm ſit probabilis, tua poterit præſtantia judicare. Id tamen dicam, qvod ad ejus defenſionem non parum facere arbitror: Ex primis Siciliæ tyrannis fuiſſe Phalarim, Superbi Tarquinii temporibus. Nam & Pythagoram, ad qvem Phalaris ſcribit, eô regnante floruiſſe, & Livius & Aulus Gellius & Euſebius aſſerunt. Eô tempore Siculi tyrannidis expertes, & peregrino & exuli (Cretenſem enim, & à patria Aſtypolide exulem, ſe ipſe teſtatur.) & ei qvem paulo antè ne parem, qvidem habuiſſent, parere indignabantur. Hinc populorum odium, hinc conjurationes, hinc Phalaridis metus, & qvæ de eo feruntur crudelitates emanârunt.

§. VIII. Magnum, utile atqve adſumendum exemplô nos memoriæ adminiculum in B. Johanne Pappo Theologiæ Doctore & Profeſſore Argentoratenſi Primario & Præſide Conventus Eccleſiaſtici qvondam digniſſimo docet Optimus Matthias Berneggerus, in Oratione II Decadis Academicarum Orationum p. 53. ſ. edit. Argentorat. M. DC. XL. qvod, qvia neqve in Melchiore Adami illius Theologi vitam nobis exhibente in p. 803. Vitarum Germanorum Theologorum Heidelbergæ excuſarum annô M. DC. XX. neqve in præfatione, ubi omnia Pappi ſcripta, qvod probè notandum, cum elogio illorum ac Auctoris recenſentur admodum facundè, Hypotypoſi doctrinæ Chriſtianæ dicti præmiſſa Pappi; neqve in Appendice Chronologica

logica Melchioris Sebizii ſuffixa Joh. Schmidii qvinqve concionibus in Jubilæo Gymnaſii Argentoratenſis 1638. habitis & M. DC. XLI. Argentorati in 4to. editis p. 229. reperitur, repetere hîc illud viſum mihi fuit operæ pretium. *Hôc locô*, inqvit Berneggerus, *mihi temperare neqveo, qvin de Clariſſimo qvondam in hac Academia Theologo, Johanne Pappo commemorem aliqvid, qvod vobis omnibus vel propter memoriam tanti viri credo non injucundum eſſe futurum. Is ut aliis excellentibus animi dotibus divinitus erat ornatus, qvas nunc carendo demum agnoſcimus, qvasqve mirari faciliùs eſt qvàm laudare: ſic inprimis adeo felici memoriâ præſtabat, ut qvamvis pagellam etſi longiuſculam, ter vel à ſe lectam, vel ab alio prælectam, poſſet ad verbum recitare memoriter. Cùm ex eo qværeretur, ecqvô id artificiô fuiſſet aſſecutus: triplici, reſpondit: Grammaticô unô, alterô dialecticô, tertiô rhetoricô. In prima enim lectione ſic vim poteſtatemqve vocabulorum, & genuinum auctoris ſenſum expendere: in altera, συνέχειαν obſervare, ac Logicam textus propoſiti diſpoſitionem inſtituere: in tertia deniqve qvicqvid artificii rhetorici eſt, cogitatione digerere: atqve ita citra omnem difficultatem qvicqvid velit, in animum demittere. Crediderim hâc ipſâ uſum arte magnum illum Julium Cæſarem Scaligerum, ut de ſe ipſe teſtatur, Ionicos verſus centum & viginti veſpertinâ meditatione conceptos, poſtridie ad verbum ſine ulla hæſitatione dictâſſe. Qvantô verô ſolidior hæc ediſcendi ratio, qvàm ea eſt, qvæ locis, characteribus, imaginibuſqve conſtat, qvarum varietas naturalem memoriam adeò prægravat, ut præ memoriæ tenacitate non rarò maniam & phreneſin inducat.* Hæc *optimus virorum*, ut vo-

catur à Boxhornio in Epiſtolis pag. 91. *Berneggerus noſter.* Ceterùm magnum nec â vero minimè abludens Pappi elogium habes apud Joh. Conrad. Dannhawerum in pag. 1. Memoriæ Thaumaſiandri Lutheri renovatæ, Argentorati Annô M.DC.LXI. in 4to. editæ.

§. IX. Excellens ingenium cognitionemqve Philoſophiæ haut vulgarem Medicam ad artem attuliſſe Avicennam inter cetera & ex eo paret, qvod non dubitaverit rem aggredi ante ſe intentatam, totamqve medendi facultatem uno comprehendere volumine. Hinc rectè de eo in App. ad Medic. Fac. c. XIII. p. 16. Sanctorellus: *Nullus aut magis ordinatè aut cumulatiùs docuit Medicam facultatem, qvàm Avicenna. Conſulo omnibus, ut Avicennam conſulant, & Ducem adſumant.* Ante eum Jo. Baptiſta Montanus in I. Hippocr. Aphoriſ. XXIV. f. 213. b. *Avicenna raro deceptus eſt, & ſi modò deceptus eſt, errores ipſius non ſunt*, debemuſqve eum, ut idem alibi loqvitur, *cribrare.* Veluti verò nonnullos ſcio prorſus illum damnare, qvi tamen ipſi ne minimum potuerunt, qvæ Avicenna præſtitit: ſic nimia Benedicti Rinii, dictum qvâ Avicennam extulit laus eruditis minimè placet, audacter in ad Avicennam præfatione, fol. 3. cenſentis, nobilem diſciplinam ex eo poſſe haberi *minimô labore, nullâ moleſtiâ, ſine temporis diſpendio, tantâ animi delectatione ut qvicumqve ſumſerit in manus perlegendum, nihil habeat, qvod ulterius reqvirat.* Splendidum profectò encomium, in qvo nihil omnino præter veritatem deſideres. Qvin etiam iniqvum iſtum laudatorem habeas, qvòd Hippocratem & Galenum hoc pro Avicenna parvi pendit. Hunc qvippe cenſet non ſine ſtomacho, *tot & tanta*
con-

congeſſiſſe, ut doctrinæ puritatem verborum & rerum copiâ obruerit. Illum verò reliqviſſe *multos* qvidem putat *ac varios de re Medica libros, ſed in eis nec ordinis ſeriem, nec brevitatis perſpicuitatem, nec artis complementum adparere.* Sic omnia tribuuntur Ebenſinæ, pauca Galeno & Hippocrati, per qvos tamen profecit Avicenna & habet fortè qvod habet. Scripſit qvidem Arabicè, ſed à Græcis adjutus. Sanè Arabes ſive Saraceni prolatis imperii Arabici terminis, cùm Græcas litteras deguſtâſſent, Græcorum ſcripta præcipuè Platonis, Ariſtotelis, Galeni, jam pænè apud ipſos Græcos ignota in ſuam lingvam transferre cœperunt, ut docent Hottingerus in Specimine Philoſophiæ Hiſtoricæ §. V. ac Hornius in Hiſtoria Philoſophica lib. V. cap. X. Hinc inprimis qvidqvid egregium ac utile in Medicina ab Avicenna, Meſue, Averroe ac aliis proditum eſt, id omne ex Græcorum ſcriptis eſt excerptum. Qvod ex eo liqvet, qvod multis illa erroribus ab illis lingvæ Græcæ non adeo peritis obſcurata ſit, ac ita multa ei abſurda inlata, quæ ſine Græcis corrigi & emendari neqveant. Qvare fruſtra apud hos qværitur, qvod non apud Hippocratem, & ejus enarratorem Galenum reperiatur. Legatur Heurnius in diſſert. de Studio Medicinæ. Tantum tamen laborè ſuô adſeqvutus eſt Avicenna, ut vel ſolus inter omnes Ariſtotelis interpretes palmam auferat: neqve qviſqvam tàm benè adſeqvutus mentem Philoſophi atqve Avicenna videatur. Monuit autem jam olim diligentiſſimus Avicennæ verſor, qvi ejus lingvæ ſtudiô xxx. annos in Syria conſumſit, *Andr.* Alpagus in ſua Avicennæ editione, corruptè ſcribi *Avicenna:* ſcribendum eſſe *Ebenſina.* *G. Sionita* Maronita è

 mon-

monte Libano cap. III. Arabiæ ita ejus nomen refert: *Honain Abu Ali Benſina, qvem Latini Avicennam vocant.* De qvo qvid idem eo in loco referat, qvia notatu dignum eſt, paucis exponemus. Tradita enim res eſt priſcis Arabum ſcriptoribus, Avicennam ſcripta ſua plagiô Præceptori & Domino, cui ſerviebat, ſurripuiſſe. Res autem ita geſta eſt. Bochara (non Arabiæ ſed Mawaralnahhræ urbs) Avicennæ patria eſt. In ea celeberrimi nominis Medicus vivebat, qvi tamen neminem eruditionis ſuæ hæredem eſſe volebat. Igitur famulis utebatur literarum rudibus, ſcripta qvoqve omnia diligentiſſimè cuſtodiebat. Avicennæ mater, ſollicita de filii ſui præclara educatione, dolum comminiſcitur. Filio perſvadet ut ſurdum ſe & mutum fortiter ſimularet. Ipſa, Medicum aggreſſa, famulitium pueri & commendat & ſvadet. Impetrabilis res erat, qvia ſurdus & mutus, ineptus ad omnia ſtudia videbatur. Sed tamen Medicus explorandum puerum ratus, & ipſe dolô utitur. Aliqvoties enim maſſas æneas magni ponderis prope aures ignorantis pueri projiciens, ſic ſe, num qvæ fraus lateret, expiſcaturum ratus eſt. Omnia tamen perſeverans pueri dolus vicit. Medicus, tot experimentis conſumtis, nihil ſubeſſe fraudis ratus, negligentiùs ſchedas ſuas habere, & incuſtoditas ferè abituriens relinqvere. Qvâ occaſione Avicenna uſus, eas ſurripere, deſcribere, & tandem ſub nomine ſuo, Medicô defunctô, edere cœpit. Ariſtoteli ita addictus fuit, ut multi referant eum totam ipſius Metaphyſicam memoriâ tenuiſſe. Prodiit Latinè à Gerhardo Cremonenſi, qvam verſionem interpolavit Andreas Alpajus, Bellunenſis Italus vir Arabicè doctus. Bona editio eſt cum notis Paulli Mur-

Murgii & Joh. Coſtæi. Arabicè qvoqve editus eſt in Italia Romæ. *Avicennam certè*, inqvit Cl. Chriſtianus Ravius Berlinas in Obteſtatione ad Europam pro Oriente p. m. 10. *& Euclidem citare in honorem potes, ſed utrumqve dimidii ſaltem operis video. Ubi omnia ejuſdem aut opera Philoſophica, & Logica, aut Lapidis Philoſophici declaratio, & de Alchymia, de tinctura metallorum, de conglutinatione lapidis, de removendis nocumentis, de ſirupo acetoſo, & Epiſtola ad Regem Haſenum; aut ſi qva alia ſunt. Alterius qvoqve perſpectivum, optica & Catoptrica, item de Datis, aut Phœnomena qvare non dantur aut non apparent? Non fuêre ad manus. Qvare non, cùm ſuperſint, inqviſiſti? qvare non cùm poſtea in manus venerint, alter tomus eſt conſtitutus? Ita te omnia ad ſpeciem potiùs, qvàm amore eruditionis feciſſe, apparet. Sed ponamus iſta ut benefacta, ita gratè accipiamus.* Et pag. 20. 21. *Qvod alii Avicennam (ſic eum vulgò ſcriptorem nominant) de novo edere Arabicè, & vertere Latinè velint, eam inqvam ejus partem, qvam eleganter Arabicè habemus ſine verſione addita, malè qvidem totum id fiet, cùm diffidam melioribus typis librum impreſſum iri Arabicè: & ſumtus in alios nondum editos auctores mallem. Et novam verſionem fieri omninò diſplicet, cùm vel tres mala unius iſtius libri verſiones extent, nec opus ſit qvartâ. Qvid mali enim ineſt ingeniis tot tantorumqve Medicorum? non poterunt tandem intelligere poſt ter expolitas verſiones Arabicum auctorem. Qvem ferè qvidam ad digitos recenſere Latinè ſciunt, cujus nulla vox memoriæ non commendata, in qvem Latinum tot Commentarii ſunt & indices: in qvem tot diſputationes extant, cujus citationibus omnium modernorum volumina plena ſunt:*

ſunt: cujus auctoritas ubiqve recepta ſcriptoribus recentibus in ſuas partes citandi inevitabilem ferè neceſſitatem fecit? Illum tandem ſcriptorem non poterimus in Arabico intelligere, niſi nova fiat verſio. Deinde cùm tria aut qvatuor exemplaria Manuſcripta nactus fuerit editurus, qvantum qvæſo librum conficiet variantium lectionum! qvæ ſupervacua, inanis, & nil profutura diligentia tanti ab illis æſtimatur, qvi nihil niſi literas, ac voces auctoris numerare & ponderare didicerunt. Magnam verò rem peregerunt, & ſpolia amplia referunt! Interea vita tot criticis in miſeranda re, & qvæ intra decennium à circumſpectioribus damnabitur abſurdæ vanitatis, & dubitantibus demonſtrabitur, tota conſumitur: & operam ac oleum miſerè perdunt, qvi iſta omnia melioribus, & qvæ frugi forent, ſtudiis impendere potuiſſent. Qvid iterum edendus eſt Arabicè & Latinè, cum multis præfationibus, vitæ deſcriptionibus, carminibus præfixis, qvæ plus ſpatii, qvàm Avicenna ipſe inſumant? Adjecta qvoqve privilegia, & aliæ curſoriæ verſionum cauſæ: item notæ marginales, & commentarii ſubjuncti toti libro, aut interdiſtincti: item variantes lectiones in margine, & ad calcem in unam ſummam locumqve conjectæ: deinde maximè diſputationes, declamationes, invectivæ, proteſtationes contra præcedentes, ubi verſiones veteres impugnant, ſuas laudant; & ne ſine cauſa hoc fecerint, rationes verſionis ſuæ mille operosè colligunt: ad ultimum decem indices Latini adjiciuntur, aut Barbaro-Arabici. Hanc mihi faciem videre videor novi iſtius libri, & qvam auctor publicè laudabit, tota mihi nauſeabunda eſt: qvi video, qvomodo talia fregerint ſtudioſis potius animum, qvàm erudierint ſedulos, docuerint cupidos.

Rogo,

Rogo, obteſtor, deprecor tantum noſtræ Reipublicæ malum. Et ſi nolint obedire, ſciant me non ſine Imperio eſſe. NON. PLACET. VETO. REIPUBLICÆ. DAMNO. EST. Et interjectis nonnullis pag. 23. *Ergo Avicennam de novo edi nolim, qvòd iſta, qvæ Arabicè edita olim ſunt, nunc repetita cum ſuis adjectionibus ad minimum duo ingentia mala volumina futura ſint. Et ſi aliqvid in honorem Avicennæ fieri omninò debeat, ergo edatur altera ejus ſcriptorum pars, qvæ non minor erit, qvam edita: & edatur ſic ſaltem ſimpliciter, qvemadmodum qvinqve ejus libri ſunt impreſſi. Qvod ſi fecerint, non minorem habebunt gloriam, qvàm ſi edita jam olim de novo ediderint, & grandes commentarios adjeciſſent: imò major qvoqve gratia & gloria futura eſt; qvemadmodum rectè penſanti facilè erit judicatu. Decem ſunt ſcripta ab eo, qvæ nondum Arabicè prodière, qvæ partim Arabica habemus MS. partim Latinè latent, impreſſa verò omnia ſunt. Hæc, ſi viri fuerint, edant, hinc laureolam capiant, hìc honorem promotæ eruditionis obtineant. Cùm reverâ etiam illi promoverint, qvi auctorem qvemcunqve antea Latinè editum, ſuâ lingvâ, ſive Arabicâ, Græcâ, Ebraicâqve, aut qvâcunqve aliâ ſcriptus ſit, ediderit. Nam verſiones illæ Latinæ nihil aliud ſunt, qvàm futuræ pœnitentiæ ſignum & cauſa: cùm generoſiores animi ſemper deſiderent ea, qvæ fundamentalia ſint: ea verò, qvæ adeò leviter ædificata, tanqvam qvæ facilè caſura ſunt & opinione celerius peritura, abominentur. Avicennæ igitur alteram partem, hâc ipſâ, qvæ extat, majorem maximoperè deſiderem. Et hoc eſſet gloriam Avicennæ qværere, ſtudia Medica promovere, Arabica commendare, honorem obtinere, famam ſpar-*

ſpargere, diligentiam excitare; ſeminare gratiam, benignitatem metere. Hæ eſſent, qvæ majoris ingenii, famæ, gloriæ, gratiæ, commodi, uſus, boni, in noſtra republ forent, qvàm millena novæ verſiones editorum librorum. Ita ut cùm utriuſqve partis conſiderem materiam & eruditionem, melior reſtare mihi videatur, pejor præceſſiſſe: non qvod melior, ſed qvod melioris deſiderium excitatura erat. Et ſic qvidem ſatis reſtat qvoqve in editis auctoribus, qvod perficiant: ita ut novâ editorum non opus ſit impreſſione. Sumptibus iis alia melioraqve prodeant; non eadem ſemper crambe apponatur, qvæ bis cocta mortem fert.

§. X. Decies & ampliùs excuſa eſt Ciceronis Hiſtoria per Conſules deſcripta & in annos LXIV. diſtincta per Franciſcum Fabricium Marcoduranum. Laudârunt illam cum auctore certatim omnes ut accuratiſſimam & optimam, in qvibus & Andreas Schottus eſt, cujus in qvarto Tullianarum Qvæſtionum c. II. p. 272. hæc ſunt verba: *Ciceronis qvidem vitam è Plutarchi fonte uberrimo hauriet, cui Commentarii vicem præbeat Qvæſtura Sebaſtiani Corradi, hominis eruditiſſimi, beneqve de TULLII Manibus meriti. Verùm enimverò diligentiâ hunc & accuratione parentum memoriâ ſuperavit Franciſc. Fabricius Belga, editâ CICERONIS* hiſtoriâ, *per annos Urbis conditæ Conſulares: qvô libellô nihil fingi venuſtius poteſt, aut utilius ad interpretandum cognoſcendumqve CICERONEM: ut qvæ ab eo, quôve tempore, vel Orationes habitæ, vel ſcriptæ ſint Epiſtolæ, cùm ad Familiares, tum ad T. Atticum intelligatur. Nec me fugit breviùs ab aliis vitam Tullii contextam, ut à Benedicto Herbeſto Poleno, ac Dionyſio Lambino Gallo, & his antiquiore*

Ja-

Jacobo Angelo Scarparia: verùm Fabricius unus inſtar omnium ſitim expleverit. At qui auctoris vitam nobis dederit, hactenus inveni neminem. Evolvi editiones Helmſtadienſem & Hamburgenſem ab Heidmanno & Bunone curatas noviſſimas & optimas in 12. at fruſtra. Nec meminit Melchior Adami in Vitis Germanorum JCtorum & Politicorum Haidelb. M.DC. XX. Neqve Johannes Andreas Qvenſtedt Doctor Theologus & Profeſſor Wittebergenſis in Dialogo de Patriis illuſtrium doctrinâ & ſcriptis Virorum, Wittebergæ CIƆ IƆC LIV. in 4to. Memorat qvidem illum in Bibliotheca Conradus Geſnerus, vel ſi mavis, Joſias Simlerus, cum ſcriptis, at, qvod mirêre, ipſam hanc omiſit Ciceronis Hiſtoriam in recenſione librorum Fabricii. *Franciſci Fabricii*, inqvit in p. 201. edit. Tigurinæ M.D.LXXIV. *Marcodurani Adnotationes in Terentium, Antverpiæ cum Mureti in eundem adnotationibus, decimo ſexto. Ejuſdem Adnotationes in Ciceronis Tuſculanas Qvæſtiones à Lambino emendatas. Coloniæ 1569. Item in Verrinam primam & ſecundam. Ibidem* 1572. Dico, Joſias Simlerus, is enim *Bibliothecam* ſive *Catalogum univerſalem* inſtitutum & collectum primùm â Conrado Geſnero juxta Alphabetum & Auctorum nomina, editumqve Tiguri apud Froſchoverum annô 1545. in fol. in epitomen redegit (qvod nollem omnino) & novorum librorum acceſſione (pro qva μεγάλη χάρις αὐτῷ) locupletavit, recognovit, & in duplum priores poſt editiones auxit, biſqve eumdem apud Froſchoverum edidit. Ante Simlerum qvoqve *Conradus* Lycoſthenes traxerat in Compendium; at hoc mancum omnino eſt, & exigui uſus; neqve enim vel formam notat librorum, vel locum & annum editionis, vel nomen typo-

typographorum; admodùm neceſſaria in Catalogorum concinnatione & non parum ad librorum & auctorum notitiam facientia. Hinc editus eſt cum majori auctorio, ſed operis Geſneriani Compendio per *Jacobum Friſium*, Tiguri annô CIↃ IↃ LXXXIII. Scripſit qvidem & Auctarium aliqvod *Antonius Verdierius*, Bibliothecæ Gallicæ ſcriptor, ſed eſt nimis breve, qvô continentur auctores, qvos præteriit, Geſnerus, qviqve poſt ejus tempora editi cum Bibliotheca Conſtantinopolitana. *In hunc*, ait Cl Morhofius I. Polyhiſtoris Literarii c. XVIII. p. 201. *notulas MStas* Bonaventuræ Vulcani (lege VulcanI vel *Vulcanii*, ita enim inſcripſit nomen ſuum libro cuipiam manu ſuâ, qvi ex ejus Bibliotheca ad me pervenit, eſt is, ne qvid de hoc celem, Angelus Decembrius de Politia literaria Baſileæ, M. D. LXII. in 8t. impreſſus non ubivis obvius) *apud amicum qvendam meum extare novi.* Ad Terentium, cujus paullo ante mentio facto, qvod attinet, ſciendum eſt, Franciſcum Fabricium, cùm videret â Mureto caſtigationis ſuæ rationem paucis admodum in locis redditam eſſe, eamqve in pluribus paſſim reqviri; optimô conſiliô ſuis adnotationibus priores triplô & amplius locupletiores effeciſſe. In qvibus non ſolùm omnes Mureti lectiones confirmavit, ſed etiam, ſi qvid notatum eſt aliis â viris doctis qvi in Terentio emendando ſtudium collocârunt, comprehendit, contulit enim cum Mureti libro alios qvatuor emendatos, unum ab Eraſmo, alterum â Goveano, tertium â Lolgio, qvartum â Joanne Rivio & Georg. Fabricio; è qvibus omnia, qvæ vel conveniebant, vel diſcrepabant, breviter deſcripſit. Enimverò opera omnium gratiarum actione, & laude omni multò digniſſima. Habeo illas adnotationes in 8t. Antverpiæ excuſas in officina Chriſtoph. Plantini CIↃ IↃ LXXV.

LXXX. At notas ejus in Tuſculanas Ciceronis Qvæſtiones lego ex editione Colonienſi M. D. LXXXIII. in 8t. Comparavi mihi non ita pridem memoratæ Ciceronis Hiſtoriæ â Fabricio ſcriptæ non contemnendum codicem annô M. D. LXIIII. Coloniæ apud Maternum Cholinum impreſſum, cujus initio eruditus qviſpiam vir ſeqventia hæc ad vitam Fabricii facientia manu ſuâ inſcripſit: *Franciſcus Fabricius Marcoduranus, patre natus M. Johanne Fabriciô Bolandô, qvi motus Monaſterienſes Anabaptiſtarum annô 1546. deſcripſit, & Franciſco Waldecho ejuſdem Monaſterii Epiſcopo inſcripſit; â qvo etiam hic ſuus filius nomen in Baptiſmo ſortitus eſt. Fratrem Philippum habuit. In bonis literis ab ineunte ætate enutritus Lutetiæ P. Ramum audivit.* (Hoc verum eſſe, ipſe teſtatur Fabricius in Epiſtola ad lectorem Hiſtoriæ Ciceronis præmiſſæ his verbis: *Petro Ramo me Lutetiæ Pariſiorum operam dediſſe non pœnitet*:) *Poſt Johannem Monhemium Elverfeldenſem primum Duſſeldorpienſis Gymnaſii â Wilhelmo, Cliviæ, Juliæ, Montium Duce annô* CIↃ IↃ XLIII. *conſtituti Rectorem, ipſô ætate & laboribus fractô annô* CIↃ IↃ LXIII. *moderamen ejus ſubiit. Et poſt mortem illius, qvæ 9. Septembr. ann. 1564. accidit, ſolus habenas ejus cum Betulæo & Orydrio Collegis capeſſivit. Hunc magni viri Carolus Utenhovius Pater & Filius, Adrianus Turnebus Gallus, Adrianus Junius, Blotius, Th. Zwingerus, Paullus Meliſſus, W. Xylander, Pithopæus, Dionyſ. Lambinus, aliiqve ob eximiam & raram eruditionem coluerunt.* Eſt & annô M. D. LXIII. apud eumdem Cholinum Coloniæ impreſſa illa Ciceronis Hiſtoria Fabricii, qvæ ſine dubio prima eſt editio. Nactus ſum eam qvoqve è Bibliotheca Clariſſimi cujuſdam viri, cujus manu

N primo

primo in folio hæc erant ſcripta: *Auctor hic* (Franciſc. Fabricius) *alumnus fuit Principis mei Gvilielmi, Cliviæ Ducis, & cum illo ſimul Doctor Solenander Medicus & Regiſtrator Juliacenſis,* Habeo & hujus libri editionem tertiam excuſam ibidem ab eodem Cholino in 8t. anno CIↃ IↃ LXXXVII. Præter Fabricium autem, & illos â Fabricio in ad Lectorem adductos epiſtola ſcriptores, qvi Hiſtoriam Ciceronis enarrârunt; ſuccedunt & hi memoriæ meæ ſeqventes: Chriſtoph. Mylæus Stadiæ natus cujus liber de Vita & Imitatione Ciceronis Baſileæ apud Oporinum editus eſt. Claruit an. D. CIↃ IↃ LI. Eſt & in medio Ciceronis vita ê ſcriptis & verbis ejuſdem deſcripta operâ & ſtudiô Benedicti Herbeſti Roxolani, ſive Rutheni patriâ Noviomaſtenſis Jeſuitæ, cùm diligenti Chronologiæ omniumqve Ciceronis Actorum & ſcriptorum obſervatione, in 8t. Francof. CIↃ IↃ LXVIII. apud Nicol. Baſſee. Cujus cetera ſcripta recenſet in Bibliotheca Jeſuitica Alegambe. Scripſit & Henr. Bullingerus, auctore Joſiâ Simlerô in vita Bullingeri fol. 8. b. vitam & encomium Ciceronis. Nec minus edidit Jacobus Angelus de Scarparia narrationem Hiſtoricam de vita & rebus geſtis M. Tullii Ciceronis ſingulari elegantiâ, fide ac brevitate ſcriptam; qvam Romæ in obſcura ac pervetuſta qvadam Bibliotheca, antiqvô exaratam ſtylô, annô Domini CIↃ IↃ LIII. reperit, & ab interitu vindicavit, atqve ad poſtremam lineam examinavit Wolfgang Periſterus Boruſſus; Berolini in 8t. Joſias Simlerus in Bibliotheca p. m. 186. a. edit. dictæ: *Efromus* inqvit *Rudingerus Pambergenſis* (ſeu *Pabepergenſis*, cùm una eademqve civitas ſit) *Germanus, Joachimi Camerarii gener* *ἀρθμολογίαν ἠθικὴν* *Camerarii edidit, impreſſam apud Jacobum Parcum*

cum Baſileæ, & apud Valentinum Papam Lipſiæ. *Idem in manibus habet deſcriptionem vitæ M. T. Ciceronis, qvam in tres libros diſtinxit. Floret nunc Witebergæ, annô Domini* 1573. *Idem tranſtulit Hypotypoſin Aſtronomicarum poſitionum Procli*: Hactenus Simlerus. Omittens primum (ut de ceteris in præſenti taceam) atqve elegans Rudingeri ſcriptum, nimirum Syneſii Cyrenæi Ægyptium, ſeu de Providentia Diſputationem, converſam in Latinum ſermonem de exemplo MS°, cum epiſtola ejuſdem Syneſii ad Orum inedita Latinè reddita ab eodem non ſine doctis & exqviſitiſſimis ſubjunctis adnotationibus Baſileæ in 8t. apud Joan. Oporinum. Liber eſt rarus, nec ipſe adeò notus auctor, inde & Petrum Danielem Huetium fugit, ab ipſo ubi Germanos interpretes in de Interpretatione adducit, prætermiſſus; qvod minimè mirum eſt, cùm non ſolùm in talibus, ſed & in pluribus aliis non levem eruditorum reprehenſionem incurrat, qva de forte alibi pleniùs â nobis agetur. In præſenti adjicio verba ex epiſtola Qvirini Reuteri, qvæ eſt CCLXV. Virorum Cll. & Doctorum ad Melchiorem Goldaſtum JCtum & Polyhiſtorem celebratiſſimum, p. 319. edition: Francofurt. & Spirenſis CIↃ IↃC LXXXVIII. in 4to. *Habeo nunc penes me Commentarium in Pſalmos Davidis, ab Eſromo Rudingero Profeſſore olim Wittebergenſi editos, Görlicii abhinc* XXX. *annis impreſſos, ſed ab autore in Moravia, & tandem Noribergæ, ubi obiit apud affines D. D. Camerarios auctos, & ex αὐτογράφῳ deſcriptos: qvos â multis, inprimis Moravis & Bohemis, expeti ſoveo. Quos ſi recuderet aliqvis typographus lucrum, opinor, faceret. Vogelinus non abhorret, ſed ſocium expetit ſumtuum & laborum. Auxilium & conſilium tuum ſi contuleris, officium gratum feceris.*

Seqventem qvia jam olim præfationis locô lucubrationem ſecundo Diſſertationum Hiſtorico-Critico Philologicarum Faſciculo, ſicuti & tertio, præmittere deſtinaveram, ideò eam ibi neglectam, hîc comparere, nec perire volui

THOMÆ CRENII
PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

EXhiberi ſibi numiſma cenſus admodùm circumſpectè poſtulabat Servator ab iis, qvi tentandi vel illaqveandi ipſius gratiâ ad eum acceſſerant. Ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου *primum apud Euangeliſtam ait in commate nono & decimo capitis vigeſimi ſecundi. I. Eum qvi poſtulat, Philoſophi ſubjectum qvod dicerent, exprimit vox in dandi caſu poſita* μοι, *qvâ Dominum JESUM indicari, controverſiâ caret.* Jubet SIBI oſtendi numiſma, & qværit poſteà, cujus ſit imago & inſcriptio; non qvia ignoret utrumqve, ſed ut Phariſæos ſuâ ipſorum reſponſione convincat, & qvaſi propriô gladiô

diô jugulet, *ſcribit in Adnotationibus Scholaſticis in Euangelia Dominicalia non contemnendus interpres noſter Lucas Loſſius pag.* 284. *b. edit. Francofurt. M.D.LIV. in* 8*t. II. Poſtulatio latet in Indefinito primo Activa vocis, Imperandi modi, ut cùm Grammaticis loqvar*, ἐπιδείξατε, *à themate* ἐπιδείκνυμι vel ἐπιδεικνύω, *& in media forma* ἐπιδείκνυμαι, ab ἐπὶ & δείκνυμι vel δεικνύω, *oſtendo, monſtro, demonſtro; qvare &* oſtendendi *voce, omnes, qvotqvot ego qvidem vidi, interpretes, jam jam adducendi, hîc utuntur. Sic & Lucas c.XX.*24. *verba Chriſti refert:* ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον. & c. XVII. 14. πορευθέντες ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι. Volebat lex Moſaica, *ait Cl. Dn. Jo. Conr. Dietericus in p.*311.*b. Antiqvitatum Biblicarum Novi Teſtam.* ut illi, in qvibus veſtigia lepræ apparerent, coram ſacerdotibus, qvorum erat de lepra judicare, ſe ſiſterent, Levit. XIII. 2. XIV. 2. hinc Salvator ad decem illos fœdiſſimô hôc morbô infectos ἐπιδείξατε dicit. Oſtenſio autem illa leproſos non mundabat; ſed præbebat tantùm teſtimonium, ipſos verè eſſe mundos; non enim miſit, ut per ſacerdotes fierent mundi: ſed ut teſtimonium à Lege & ſacerdotibus haberent, qvòd à lepra verè eſſent mundati ſolâ miſericordiâ Chriſti, & illius verbô: & qvoqve factum, ut Sacerdotes Hieroſolymitani ex hoc miraculo agnoſcerent Meſſiam. Nam inter Meſſiæ miracula etiam leproſorum numeratur mundatio Eſa. XXXV. 5. Cujus hîc non unum, ſed decem exempla occurrunt in decem leproſis unâ vice mundatis verbô Chriſti mirificô, qvòd mirè operatum eſt. *Eodem in ſcriptore, Sancto Luca cap. XXIV.*40. *Dn: Jeſus* ἐπέδειξεν *ſuis diſcipulis* τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας. *Sic Matth. XVI.* 1. Προσελθόντες οἱ

φαρισαῖοι καὶ Σαδδουκαῖοι, πειράζοντες ἐπηρώτησαν αὐτὸν σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτοῖς. *Item cap. XXIV.* 1. Προσῆλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ· pro τοῦ ἐπιδεῖξαι ἕνεκα, *ut Georgius Paſor in p. 129. a. editionis Amſtelod. M. DC. XLI. Lexici Græco-Latini utiliſſimi obſervat. Legitur & Actuum nonô, comm. 39.* παρέστησαν αὐτῷ πᾶσαι αἱ χῆραι κλαίουσαι, καὶ ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας oſtendentes tunicas, καὶ ἱμάτια ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς. *Et de Apolline Alexandrino in inciſo octavo & vigeſimo capitis XVIII.* Εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ, ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, oſtendens per ſcripturas, εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν: *Tandem habetur & Hebr. VI. 17.* ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος ὁ θεὸς ἐπιδεῖξαι τοῖς κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. *Atqve hæc ſunt illa Novi Teſtamenti loca, in qvibus vocem hanc occurrere ſuccedit memoria; ceterùm legat de ea, qvi volet, Gulielmum Budæum Conſiliarium Regium, ſupplicúmqve libellorum in Regia Magiſtrum in Commentariis Lingvæ Græcæ p. m. 355. ſ. edit. Colonienſ. M. D. XXX. Cùm Pariſina Roberti Stephani de anno* CIↃ IↃ XLVIII. *Colonienſi multò melior in præſens non ſit ad manus, qvippe quâ aliàs uti ſoleo. Item Nicol. Clenardi Inſtitutiones Lingvæ Græcæ p. m. 280. edit. optimæ Francofurt. M. D. LXXXVII. qvæ cum ſcholiis & praxi Petri Anteſignani, Friderici Sylburgii & Henrici Stephani ad me ex Bibliotheca Paulli Tarnovii Roſtochienſis Theologi pervenit, mihi non minùs ob memoriam & nomen, qvàm notas in margine tanti viri manu ſcriptas cariſſima. Neqvidqvam hîc inſpexi Thomam Aqvinatem, Aretium, Bucerum, Bezam, Flacium, Contzenium, Gvalthe-*

therum, *Muſculum*, *Maldonatum*, *Bertramum*, *Spilenbergium*, *Gagnejum*, *Pelargum*, *G. Calixtum*, *Toſſanum*, *Joh. Meiſnerum*, & *alios in commentariis*, *uti* & *Hieron. Wellerum*, *Frid. Balduinum*, *Balth. Meiſnerum*, *Jodocum Nahumium*, *Joh. Gerhardum*, & *reliqvos in Homiliis*, *Meditationibus* & ὑπομνήμασι; *cùm prætermittant hoc vocabulum*, *nec textum premant*. *Benedictus Arias Montanus in Elucidatione hujus loci p. m. 77 edit. Antverpienſis Plantin. M. D. LXXV. hæc reliqvit*: Oſtendite &c. Illi propoſuerant illi procemium alicujus qvæſtionis ad pietatem & religionem planè pertinentis, *Viam DEI in veritate doces*: & tamen qvæſtio ipſa non pertinebat ex divino inſtituto ad viam DEI: ideò vocat eos hypocritas, re ipſâ autem oſtendit, ipſos confundere rationes humanas cum divinis, qvando de cenſu ſolvendo, tanqvam de præcepti alicujus divini violatione agunt, cùm tamen allatus numus Romæ cuſus, imagine & inſcriptione Cæſaris inſignitus, nihil planè divinum, aut aliàs ad religionem pertinens habeat, atqve adeò illius ſolutio non offendat DEUM, nec pietatem lædat, imò debeatur Cæſari, tanqvàm legis ipſius de tributis auctori, qvi non petat violari religionem, ſed ex communi moneta reddi ſibi numiſma, qvod in uſus prophanos etiam cuſum eſt, & merè Romanum. Damnum autem & detrimentum in ejuſmodi rebus acceptum non tangere animum propriè. Si qvid peteret Cæſar contra viam DEI, id eſſe negandum. Illum petere, qvod principes omnes petunt, videlicet tributum ad Reipublicæ adminiſtrationem. Reddi igitur deberi tributum, qvod ex ipſa materia ac forma manifeſtè oſtendit, nihil pertinere ad religionem violandam. At verè pietatem, animo-

rum integritatem, fidem & virtutem DEO reddi oportere. Uno reſponſô pupugit utramqve partem: Herodianos, qvi ſemiimpii erant, & ferè ἄθεοι, neqve cogitabant de pietate erga DEUM; & Phariſæos, qvi nimiâ ſuperſtitione tumebant, adeò, ut principibus parere nollent, obtentu libertatis religioſæ: atqve ita dum illi ipſum tentant inviſum reddere alterutri parti, ipſe eos DEO & Cæſari adverſarios eſſe oſtendit. O magnam ſimpliciſſimæ ſapientiæ virtutem, qvæ adverſarios in admirationem adductos pudefacit. *Hæc Hiſpalenſis Arias. Loqvatur Jo. Calvinus.* Qvod jubet Chriſtus nummum proferre, qvamqvàm non magni momenti primò aſpectu videtur, tamen ad ſolvendas tendiculas ſufficit. Nam hac parte expreſſa illis fuit ſubjectionis confeſſio, ut Chriſtus neceſſe non haberet qvidqvam illis novum præcipere. Percuſſus erat nummus formâ Cæſaris. Ergo Romani Imperii authoritas communi uſu probata receptáqve erat. Unde conſtabat Judæos ipſos jam ſibi ſponte legem impoſuiſſe ſolvendi tributi, qvia Romanis gladii poteſtatem conceſſerant. Neqve enim ſeorſum de cenſu diſputandum erat: ſed pendebat à generali Politia hæc qvæſtio. *Hactenus Genevenſis doctor in pag. 285. Harmoniæ, edit. optimæ Criſpinianæ M. D. LXXII. Audiatur & Eraſmus, cujus in p. 89. Adnotationum in Novum Teſtamentum editionis Baſileenſis Frobenianæ (quæ eſt qvincta & prioribus omnibus melior ab Eraſmo adornata, editio, ipſómet, qvod notari velim, atteſtante in VII. prioris ad Corinthios epiſlæ Paulli caput, pag. 461.) anni M. D. XL. ſunt hæc.* Mirè Chriſtus temperavit reſponſum: rogatus inſidioſè de re mundana, jubet oſtendi numiſma, velut ignotum: ubi oſtenſum eſt, ſic agit, qvaſi non gno-

agnoſcat imaginem, neqve inſcriptionem. *Cùm ad pœnitendum, vulgò qvod dicimus, properet, citò qvi judicat, Dominus, nullum contra qvem valet conſilium aut ſapientia, cuiqve ludus eſt, deprehendere ſua in aſtutia fictos & occultos, nihil minus, qvàm qvòd illi blandi pariter & inſidioſi alloqviô putârant, fecit. Neqve enim inconſideratè reſpondit aut abruptè, neqve in alteram partem ſimpliciter, neqve ſine cauſſa, neqve deniqve ad id tantùm, qvod qværebant: ſed volebat oſtendi ſibi τὸ νόμισμα τȣ͂ κήνσȣ: id qvod III. ipſum Servatoris poſtulatum eſt.* Oſtendite mihi numiſma cenſus *vertunt, praeunte Vulgatô & conſentiente Ariâ Montanô, Theodorus Beza, uterqve Eraſmus, & Roterodamus & Schmidius. Aramaeus ex interpretatione Tremellii:* Oſtendite mihi denarium capitationis. *Arabs* الجزية gazam. *Similiter & Perſa, habet enim* جزية, *qvam cur interpres in Bibliis Londinenſibus transferat* cenſum capitis, *non ſatis adparet, cùm ſit dictio generalis, notans* gazam, opes. *Inde enim ad Latinos vocabulum* gaza *manavit, ut Hiſpalenſis Iſidorus docet librô XX. cap. IX. & ex eo Matthias Martinius col. 1007. Etymolog. Voc.* Gaza. *Adde Servium in 1. Æneid. v. 123. Inde Palæſtinæ urbi* Gaza *nomen*, quòd, *ut primô de Situ Orbis librô Pomponius Mela cap. XI. refert*, cùm Cambyſes armis Ægyptum peteret, hûc belli & opes & pecuniam intulerat. *Apud Euangeliſtas Marcum cap. XII. 41. 43. Lucam cap. XXI. 1. & Johannem cap. VIII. 40. legas γαζοφυλάκιον, qvod erat conclave in atrio, ubi ſacra pecunia; de qvo Schindlerus in Lexico ad vocem* לִשְׁכָּה Liſchach. *Martinius dictô locô.*

Georgius Paſor in p. 104. *Lexici Græco-Latini : Incomparabilis Brunſvicenſium Theologus D. Martinus Chemnitius in Harmonia; vir ſui nominis Hugo Grotius ad Marci c. XII.* 41. *aliiqve auctores paſſim. Æthiops reddit* ጸገሕተ ፡ ዲናሪ ፡ *id eſt*, tributum denarii. *Caſtellio*: Oſtendite mihi nummum tributarium. *Italica Giovanni Diodati habet*: Moſtratemi la moneta del cenſo. *Hiſpanica Cypriani de Valera*: Moſtrad me la moneda del tributo. *Lutherus, Emſer & Dietenbergius*: Weiſet mier die zinſemüntze. *Tigurini & Keyſerbergius*: Zeiget mier die müntze des zinſes. *Anglicana ita*: Shew me the tribute-money. *Belgica*: Toont my den ſchattingh-penningh. *Secundus Evangeliſta cap. XII. verſ.* 15. *ſcribit in ſpecie* denarium *petiiſſe JESUM*: φέρετέ μοι δηνάριον· *ubi nulla pugna, cùm Marcus verba, Matthæus paraphraſin verborum Chriſti exprimat. Lucas per compendium inſpectionem cum deſcriptione jungit.* Νόμισμα, numiſma *numus legitimus eſt, cujus uſus & valor* νενόμισται, *hoc eſt, lege ſancitus eſt*, ἀπὸ τοῦ νόμου, *id eſt, lege, qvòd ejus uſus lege fuit introductus. Ariſtoteles V. Ethicorum c. VIII.* οἷον δ' ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην, καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ καὶ ἐφ' ἡμῖν, μεταβαλεῖν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον *id eſt*, indigentiæ locô ex hominum qvaſi compacto & convento qvodammodo ſucceſſit nummus a lege dictus, qvia non naturâ, ſed lege valeat, ſitqve in nobis ſitum, eum immutare inutilemqve reddere. *Cùm nummus valeat* ἐξ ὑποθέσεως ex hominum inſtituto ac conditione qvadam, *nummi inventio pertinet ad jus gentium. Nam ex conſvetudine potiùs, conſenſu & compacto eorum,*

eorum, illô qvi utuntur, qvàm ab ulla lege naturali originem habet nummus atqve receptus eſt. At νόμος *idem qvod* νόμισμα, mos & conſvetudo. *Ionici generis homines, ut* νȣ̃σον, *qva* νόσος *aliis, dixére: ita* νȣ̃μον, *qvi* νόμος. *Dores eam conſonantem more ſuô geminârunt, ac ſcripſerunt* νȣ̃μμον, *ſic vocantes, qvod aliis Græcis* νόμος & νόμισμα. *Nam ut Julius Pollux ſcribit lib. IX. Romani hanc vocem habent à Dorienſibus, Siciliæ & Magnæ Græciæ incolis, qvos Ariſtoteles in libro de Tarentinorum Republica auctor eſt, habuiſſe* νȣ̃μμον, *in qvo Tarentis Neptuni filii imago impreſſa erat, eqvo inſidentis. Sed juvat ipſa Pollucis verba addere, cùm is non ſit ubivis obvius:* ὁ δὲ νȣ̃μμος, *inqvit,* δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τȣ̃νομα τȣ̃ νομίσματος: ἔστι δὲ ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων. ὁ Ἐπίχαρμός τε (*Poëta Siculus*) γὰρ ἐν ταῖς χύτραις φησίν:

> Ἀλλ' ὅμως καλαί καὶ πῖοι ἄρνες, * ἀυρήσȣσι δὲ
> Μοι καὶ νȣ́μμȣς, καὶ γὰρ ἐντὶ πωλατιᾶς τᾶς ματέρος·
> Καὶ πάλιν,

† Κάρυξ ἰὼν εὐθὺς, πρίω μοι δέκα νȣ́μμων μόσχον καλήν. Καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ, καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νȣ̃μμον, ἐφ' ȣ̃ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχȣ́μενον *Utor Pollucis Onomaſtico X. libris ad Commodum Cæſarem comprehenſô ſingulari eruditione, ex egregia illa editione, qvam annô hujus ſeculi octavô Wolfgangus Seberus nobis typis Wechelia-*

* Id eſt, invenient mihi nummos.
† Id eſt: Præco abi citò, ac mihi decem nummis eme pulchrum vitulum.

chelianis dedit. Eadem fuit ſententia Varronis in qvarto de Lingva Latina: In argento, *inqvit p. m.* 41. *edit. opt. Durdrechtana* 1619. nummi: id à Siculeis. *Qvi locus, ut & alius Voluſii Metiani, indicare videtur* nummum *propriè dici, qvi* argenteus. *Certum tamen eſt, diſcrimen id omninò negligi, cùm &* ſeſtertius, *qvi areus eſt, paſſim* nummus *dicatur: & in Digeſtis legamus* nummos plumbeos, ſtanneos, aureos. *Flavius Soſipater librô I.* Subauditur nummus, ut ſeſtertius nummus, & denarius nummus. Nam id nummum appellamus, qvod Græci νόμισμα. Ergò, *ait Joſephus Scaliger in Conjectaneis in Varron. de L. L. p. 69.* Ut ab ἀναβολὴ, & Doricè ἀμβολὰ, ἄβολλα fecerunt: ſic à νόμος, unde νόμισμα, νοῦμμος. *At Voſſio p. 347. b. Etymolog. non eſt ἀμίσως à νόμος,* verùm à νομίζω. *Vide hîc Salmaſium in libro de Uſuris c. IX. p. 238. c. XVI. p. 469. & alibi iſto in libro paſſim. Addit Servator* τοῦ κήνσου. Ubi qvæſtio fuit, *inqvit Paſor in p. 362. Lexico Græco-Latini*, non de dimidio ſiclo, à DEO mandato, qvi templo dependebatur, prout pleriqve putant, ſed de extraordinario & vi Romanorum extorto tributo. *Jacobus Tirinus* Jeſuita *Antverpianus hîc:* numiſma cenſus, qvod pro cenſu ſeu tributo annuo exigi & dari ſolet. *Generatim cenſus eſt deſcriptio ac æſtimatio bonorum juxta & perſonarum. Vetus Philoxeni Gloſſ.* Cenſus * ἀπογραφὴ οὐσίας, † ἀποτίμησις. *Vi prioris vox cenſus communiter de bonis cujuſqve ac patrimonio uſurpari cœpit. Horat. II. Od. XV. 13.*

Privatus illis cenſus erat brevis
Commune magnum ——

Et

* Deſcriptio ſubſtantiæ. † Æſtimatio.

Et 1. *Epiſt. VII.* 56. Præconem tenui cenſu — *Sic contra* maximus cenſus *apud Suetonium in Tiber. c.* XLIX. 2. *Qvod Plinius* X. *Ep.* XXII. edere cenſum, *alii* profiteri cenſum dixerunt. Ἀπογραφὴ *ad perſonas pertinet. Ita autem agebatur cenſus, ut qviſqve civis, nomen, genus, annos de ſe, uxore, liberiſqve & ſervis, atqve in his officia ac artes: dein pecunias ſuas, prædia & facultates, ſeu qvantum haberet in bonis ederet, ſive profiteretur. Nam pro illorum ratione diſtingvebantur & cenſebantur cives in ordines certos ac claſſes, ex inſtitutione ſaluberrima Servii Tullii, qvi primus ordinavit cenſum: de qvo Livius librô* I. *c.* XLII. 6. Cenſum *Servius* inſtituit rem ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex qvo belli paciſqve munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. *Ubi non ab re Henricus Glareanus in notis:* Cenſus dicebatur æſtimatio rerum ac bonorum facta, ſecundùm quam tributa ſolvebantur. Neqve unqvam, qvod ſciam, veteres auctores pro annuo proventu uſurpârunt, ut nunc vulgus Juriſperitorum ſolet. *Agri ita deferebantur, ut nomen fundi, tùm civitas paguſqve qvò pertineret, vicini præterea, deinde arva, vineæ, prata, ſilvæ, paſcua ſignificarentur, ut è Dionyſii Halicarnaſſæi librô IV. c.* XIX. & JCtis *D. L. IV. de Cenſibus conſtare poteſt. Ceterùm cùm ageretur cenſus, nomen, genus, annos, facultates qviſqve civium juratò edebat, graviſſimâ, ſi detrectâſſet, aut fefelliſſet, adficiendus pœnâ, nimirum amiſſione bonorum & civitatis. Qvamqvàm antiqvitus & virgis cæderentur. Lege Dionyſium dictô locô, & lib. V. c. LXXXV. Itemqve Suetonium Caligulâ c.* XXXVIII. *Ratio erat, ut ſic conſtaret non tantùm de civium numero, ſed qvanta etiam*

manus

manus pro modo militaris ætatis apta bello eſſet, qvi ad honores conſeqvendos idonei, tùm qvantum cuiqve tributi nomine in ſumtus bellorum gerendæqve publicæ rei præſtandos imponi deberet. Docet Florus l. VI. 3. Ab *Servio Tullio* Populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atqve Collegiis diſtributus: ſummâqve regis ſolertiâ ita eſt ordinata Reſpublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumqve diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentiâ contineretur. *Et l. VIII. 6.* Actus à Servio cenſus qvid effecit, niſi ut ipſa ſe noſceret Reſpublica? *Illuſtris Salmaſius in c. XIX. libri de Uſurarum modo p. m. 882. obſervat,* cenſum, *qvi diceretur, propriè ad Urbem Romam pertinere; nam in provinciis eam rem* ἀπογραφὴν *ſive* profeſſionem *appellari. Pro qva diſtinctione utriusqve vocabuli vetus etiam juris fragmentum ex Bibliotheca Clariſſ. Rumpfii allegat.* Ἀλλ' ἐν τῇ πόλει ῥωμαίων μόνον ἀποτίμησιν ἄγεσθαι δεδήλωται, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις μᾶλλον ἀπογραφαῖς χρῶνται· Sed in Urbe Romanorum cenſum agi notum eſt: in provinciis autem magis profeſſionibus utuntur. *Sed id diſcriminis non attendunt cum cura Latini auctores, & ipſi JCti indifferenter vocabula iſta uſurpârunt, ut Digeſtorum de Cenſibus titulus atteſtatur. Epitome Livii lib.* CXXXIV. Cenſum à tribus Galliis actum *memorat. Et Tacitus 1. Annali* XXXI. 2. Regimen ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum. *Interim cum eruditiſſimo Buchnero in notis ad* Plinii *lib.* X. *Epiſt.* XXII. *p. m.* 791. *ed. Lipſenſ.* M. DC. LXXV. *qvam egregiè, qvod ſolet,* Jac. *Thomaſius curavit, inficiandum non eſt, qvod Lipſius etiam ad illum Taciti locum prudenter monet, cen-*

ſum

ſum in Provinciis actum potiſſimùm, ut ex modo facultatum tributa & vectigalia penderent; non ut ex eo honores ac ordines; ſicut Romæ, conſeqvi poſſent. Pro qvo diſcrimine ſanè, meliore jure ac magis propriè provinciarum cenſus, ἀπογραφὴ, *ſive* profeſſio, *Romanus* ἀποτίμησις *ſive* Cenſus *nominetur: qvamqvàm hæc duo vocabula promiſcuè uſurpari ſolent. Nec aliud voluiſſe JCtum Græcum, inde conjici poteſt, qvòd non ſimpliciter dixit,* ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις ἀπογραφαῖς χρῶνται, *ſed* μᾶλλον ἀπογραφαῖς χρῶνται· *Ceterùm, qvod in hoc noſtro Matthæi loco, & commate 17. hujus XXII. capitis, uti & Marci XII. 14.* κῆνσος *dicitur, id Lucæ XX. 22.* φόρος *adppellatur, qvo de vide doctiſſimum Caſaubonum Exercitat. XVI. §. 6. p. m. 451. ſ. edit. Londinenſ.* CIↃ IↃCXIIII. *Ubi notat* κῆνσον *ſignificare* (1) *æſtimationem bonorum per cenſores & poſteà per cenſitores in Provinciis factam* (2) *cùm penſitationis præſtandæ modus per cenſum fieret in provinciis, ipſum tributum adpellatum fuiſſe cenſum* (3) *deniqve ipſa bona, qvæ cenſebantur & pro qvibus tributum ſolvebatur, cenſum dicta fuiſſe. En ejus verba:* Vox κῆνσος, qvæ in Euangelio Matthæi ter legitur, apud Marcum ſemel, etſi Latina dictio eſt; non tamen ex uſu communi Latinè ſcribentium uſurpatur. Romanis ſcriptoribus *cenſus* eſt deſcriptio agrorum, & reliqvarum fortunarum, in cenſum deferri ſolitarum. Sic dixit Cicero, qvartâ in Verrem, *Siculos ex cenſu, qvotannis tributa conferre*, & auctor Gloſſarii, *Cenſus* ἀπογραφὴ οὐσίας, ἀποτίμησις. Et olim qvidem muneris Cenſorii pars erat, habere & ordinare cenſus: ſed poſteà, Cenſoribus ſublatis, miſſi ſunt per provincias, qvas vocabant Cenſitores; qvi modum agrorum, qvem qviſ-

qve

qve poſſidebat, metiebantur, & in tabulas cenſuales referebant: ex qvibus tributi pro ſua virili cuiqve præſtandi ratio conſtabat. Gloſſarium, *Cenſitor*, ἀπογραφεὺς, τιμητής. Heſychius, Κηνσήτωρ ὁ τὴν γῆν μετρῶν. Hic eſt, qvi dicitur ἐξισωτὴς Gregorio Naz. in oratione, de Juliano cenſitore. In Cod. Theodoſ. *peraeqvatores*, ſunt ad verbum ἐξισωταὶ ſic dicti, qvòd libros cenſuales emendarent, & onus tributi habitâ ratione cenſus ex æqvo inter cives dividerent. Qvùm autem penſitationis præſtandæ modus penderet è cenſu, obtinuit in provinciis, ut ipſum tributum appellaretur, κῆνσος, *cenſus*. Sanè etiam apud Romanos ſcriptores, *cenſus* interdum, non deſcriptionem aut æſtimationem bonorum ſignificat, ſed ipſa bona, ut, *homo tenuis cenſus*, & apud Satyricum, - *miſera eſt magni cuſtodia cenſus*, id eſt, magnæ pecuniæ, vel ingentium opum. Sed in Euangeliis κῆνσος eſt ipſum tributum, ὁ φόρος. Qvare pro eo, qvod Matthæus & Marcus dixerunt, ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, Lucas habet, ἔξεστι Καίσαρι φόρον δοῦναι. *Adde Dn. Dietericum in Antiqvitat. Novi Teſtam. p. 436. b. Matth: XVII. 25.* τέλος καὶ κῆνσος *conjunguntur; ubi Chriſtus interrogat Petrum, à qvo reges terræ accipiant tributa, ſive cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis?* ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη, ἢ κῆνσον· *atqve exprimitur ibi qvantitas cenſûs, nempe* δίδραχμον, *ſive ſicli ſanctuarii dimidium; integer enim valebat qvatuor drachmas, id eſt,* ſtaterem, *qvem ibidem comm. 27. Petrus pro ſe & Chriſto ſolvit, Servatore id jubente. Vide Magnum noſtrum Doctorem* Jo. *Gerhardum cap. XLIV. Harmoniæ Euangel. p. m. 429. edit. opt. Francofurt. & Hamburg. M. DC. LII. Græci Grammatici, ut Suidas, Heſychius & Moſchopulus qvùm proprietatem*

tem Romanæ hujus vocis (κῆνσος) *non intelligerent, more ſuô ad nugas confugerunt, pro peculiari eam genere monetæ accipientes.* Suidas *ſanè* genus pecuniæ qvô ſolveretur annuum tributum ſic dictum putavit voce Græcâ. Κῆνσος, τὸ νόμισμα, ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω τὸ κόπτω. Qvantum hîc ineptiarum? *ait adductô laudatus modò locô Caſaubonus*; Primò, cenſus nunqvam legitur pro aliqvo certo pecuniæ genere. Nam qvi in Euangeliis ſic accipiunt, parum firmâ conjecturâ nituntur; qvum ibi κῆνσος idem ſignificet, ut oſtendimus, ac φόρος *tributum*. Et cùm dicit Dominus, ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου, *oſtendite mihi numiſma cenſus*, manifeſtè diſcrimen ponit inter cenſum, hoc eſt, tributum, & pecuniam, qvæ tributi nomine penſitabatur. Deinde abſurdiſſimum eſt, à verbo poëtico καίνω, deducere nomen κῆνσος: qvod non ſcribitur per η ut tum poſtularet analogia, ſed per η, ſimplex, aut etiam per ι, ut apud Theophilum in Inſtitutionibus; Κένσος, σανὶς, ἤτοι χάρτης, ἐν ᾧ Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο. Adde qvod verbum καίνω non ſignificat κόπτω, *ferio*, vel *cudo*, eô ſenſu, qvô dicitur κόπτειν νόμισμα, *nummos cudere*, ſed *cado & occido*. Apud eruditiſſimum Grammaticum Heſychium, ita ſcriptum eſt: Κίνσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. vel, νομίσματος ἐπικεφαλαίου. ſed ipſe ſcripſerat per ι κίνσος, ut liqvet ex antecedentibus & ſeqventibus dictionibus. & aliô locô idem diſtingvit inter κῆνσος herbæ nomen, neſcio in qva dialectô, & κίνσος *tributum*: Τὸ δὲ τέλος, ait, κίνσος διὰ τοῦ ι. Sed hæc partim inepta ſunt, partim falſa. Moſchopulus: κῆνσος νόμισμα δραχμῆς ἰσοστάσιον· δραχμὴ δὲ ἱστᾷ κοκκία ἑκκαίδεκα. *Cenſus eſt nummus, qvi pendit drachmam; drachma autem pendit grana*

 ſede-

ſedecim. Plutarchus & alii Græci ſcriptores ſolent Romanum denarium exprimere voce δεαχμή. Ita accipio [illegible] nomen in hoc Moſchopuli loco. Exiſtimavit hic Grammaticus, cenſum fuiſſe dictum pecuniæ genus, qvô tributum ſolveretur; & qvia mox, ubi dixiſſet Dominus, *oſtendite mihi numiſma cenſus*, oſtenditur illi denarius; putavit, nummum, qvi appellatur *cenſus*, fuiſſe denarium Romanum, ſive drachmam Græcam. *Cæſar Baronius ad Ann.* Chriſti *XXXIV. n.* 10. *eumqve ſeqvutus Brugenſis in hoc XXII. Matthæi caput, Salmeron Tomô VIII. Tract. LIX. & alii ſtatuunt*, in ſingulis capitationibus certum denarium cenſualem à Romanis imperatoribus cuſum fuiſſe, qvi non fuerit ejuſdem ſemper valoris. Qvamvis, *inqviunt*, longè ante Tiberium denarii apud Romanos uſus fuerit, ejus tamen precii numiſma Tiberius cudi juſſit, qvod vellet ſibi à Judæis in cenſum ſolvi. *Probare illud ex Ælio volunt Lampridio, qvi moris apud Romanos fuiſſe memorat*, ut numiſmata pro ratione tributi vel cenſus, ab Imperatoribus cuderentur, nec unô ſemper modô eadem permanerent. Sed numiſmata tributorum, à ceteris uſualis pecuniæ nummis in eo differrent, qvod iſtorum pretium ſemper idem eſſet: numiſmata verò cenſus vel tributi, cùm mutaretur tributi qvalitas, (*diceret potiùs*, qvantitas,) eadem ad rationem tributi recens formarentur. *Qvod tamen Sebaſtiano Barradio Jeſuitæ Ulyſſiponenſi Tomô III. Concord. Evangel. lib. VIII. c. XII. minimè probatur, nec ex Lampridio illud ſibi elici poſſe videtur. Rationem addit ille ipſe Iſaacus Caſaubonus Exercit. XVI. ad Baronium n. 6. p.* 453. *qvod Lampridius loqvatur de Alexandri (longè poſt Tiberium) Imperatoris peculiari facto,*

qvod

qvod temerè hûc referendum non ſit. Deinde ſubjicit, *ait*, locum Lampridii, è vita Alexandri Imperat. qvi tale qvid factum eſſe ſub illo Principe ſignificat. Sed qvod dicitur de Alexandro Mammææ, ad Tiberii tempora temerè non debet referri. Videtur enim Lampridius peculiare aliqvod illius optimi Imperatoris inſtitutum notare voluiſſe. At Baronius Lampridii teſtimonium ſic accepit, ut intelligeret ſemper hoc fuiſſe ſervatum in Imperio Romano. Sed mirum eſt, ne unum qvidem hiſtoricorum, qvi vitas Imperatorum, ſive Alexandrô priorum, ſive poſteriorum, literis tradiderunt, qvicqvam ejuſmodi ſcripſiſſe. Nam inſigniter falſus eſt idem Baronius in anno Domini nongenteſimo ſexageſimo qvarto, cùm hanc ſuam obſervationem ex iis voluit confirmare, qvæ de Nicephora Phoca ſcribunt vitæ illius auctores, Curopalates, Cedrenus & alii. Narrant illi, levioris monetæ genus cudi juſſiſſe eum Imperatorem: ita ut illius tempoibus duplex moneta in communi uſu verſaretur, gavior & levior: tributa exegiſſe in pecunia gravioe: ipſum erogâſſe minoris pretii monetam, cùm ſtipendia vel militibus, vel aliis ſolveret. Hæc hiiſoria ſimile nihil habet obſervationi Baronianæ. Cedreni clara ſunt verba: Ἠλάττωσε δὲ καὶ τὸ νόμισμα, τὸ λεγόμενον τεταρτηρὸν ἐπινοήσας· διπλοῦ δὲ τοῦ νομίσματος ἐκ τότε γεγονότος. ἡ μὲν εἴσπραξις τῶν βασιλέων φόρων, τὸ βαρύτερον ἀπῄτει· ἐν δὲ ταῖς ἐξόδοις τὸ μικρὸν ἐσωμάτιζεν. Qvod igitur Domino petenti ſibi oſtendi numiſma cenſus, exhibetur denarius: non ita accipiendum, ut factum eſt à Baronio. Nam qvum variô & multiplici genere nummorum Judæi tum uterentur; propriorum gentis ſuæ, vicinarum regionum, & Romanorum: nullum eſt dubium, qvin

tributum qvod Cæſari pendebatur, in pecunia Romana exigeretur, non Judaica aut qvavis alia. Dominus igitur numiſma cenſus appellat; non certum genus numiſmatis, qvô ſolo tributa ſolverentur: ſed pecuniam Romanam, qvæ ſola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. Denarius autem Chriſto oſtenditur, velut in exemplum pecuniæ Romanæ: neqve id fuit peculiare aliqvod monetæ genus ad tributi ſolutionem cuſæ: verùm omnes denarii erant pecunia Romana, & tam denarii, qvàm alii nummi Romani dici poterant numiſma cenſus. Qvare errat Baronius & qvi illum ſecutus eſt Lucas Brugenſis, dum colligunt ex hac Euangelica hiſtoria, legitimum tributi modum, qvod Romani à ſubditis ſuis exigebant, fuiſſe denarium. Confundunt enim tributum, qvod pendebatur pro modo agri, qvem qviſqve poſſideret, & aliorum bonorum; cum capitatione qvæ capitibus ſingulorum ſubditorum aliqvando imponebatur, & genus fuit exactionis vel graviſſimæ, ut ex Ammiano Marcellino & aliis ſcriptoribus ſatis conſtat: qvo in errore & Syrus interpres videtur verſatus. *Hactenus Caſaubonus. Intelligitur ſine dubio qvævis pecunia, per qvam cenſus Romanus ſolvebatur. Sed cùm triplex ſecundum qvoſdam, Judaica ſcilicet, vicinorum, Romanorum, pecunia apud Judæos in uſu, procul dubio cenſus Romanâ pecuniâ fuit perſolvendus.* Alexander qvidem Severus; *ſcribit in pag. 365. Concordiæ Qvatuor Euangelicorum Scriptorum Georgius Calixtus Holſatus, Doctor in Academia Julia,* ut eſt apud Lampridium in vita ejus, certum pecuniæ genus præſtationi vectigalium deſtinârat. Verùm ſimile qvid ab aliis Imperatoribus conſtitutum, & vel aliàs, vel tempore Tiberii in Romano Imperio obſer-

ſervatum fuiſſe, hiſtoriæ nos non docent. Cùm autem Judæi uterentur pecuniâ & propriâ, & vicinarum regionum, & Romanâ, dubium non eſt, qvin tributum, qvod Cæſari pendebatur, in nulla alia, qvàm Romana exigeretur. Servator itaqve, dum jubet ſibi exhiberi numiſma cenſus, tale poſcit monetæ genus, qvale ab exactoribus tributi reqvirebatur, cui oſtenditur denarius, non qvod tributi locô nonniſi denarius penderetur, ſed tanqvam exemplum Romanæ pecuniæ, qvam ſolam illi acciperent: Denarius enim Romana eſt pecunia, qvam Plutarchus & alii ſcriptores Græci exprimunt voce δηνάριον. *Operæ pretium erit adjungere hîc explicationem hujus loci è viri verè nobilis & reconditæ eruditionis Marqvardi Freheri diſſertatione in publico JCtorum Academiæ Heidelbergenſis ἀκροατηρίῳ annô* CIↃ IↃ XCVII. *de numiſmate cenſus, cum inſigni (ut Abr. Scultetus in p. 76. Obſervationum in Matthæum, qvibus totam hanc Freheri diſſertationem inſeruit, teſtatur) auditorum animi voluptate dicta, qvamqve iterùm Francofurti annô* CIↃ IↃ C LXXV. *Aaroni Purgato Franciſci Moncæji * Atrebatii, juxta exemplar Londinenſe, ut titulus*

* *Hic Franciſcus Moncæjus Fridevalianus Atrebatius duobus libris Aaronem non ſolùm purgare voluit ab omni idololatria, ſed etiam Jeroboamum, in vitulorum erectione, & Labanum ac Micham in ſuis Teraphim. Sed huic ſeſe oppoſuit, ſententiamqve ejus tanqvàm abſonam, & veris fundamentis deſtitutam, deſtruxit, libellô eam in rem editô Viſorius, Theologus Sorbonicus; Canonicus Ambianenſis, Pariſ. apud Rolinum Theodorici, Annô* CIↃ IↃ C IX.

tulus fert, ne Germania, in cujus terris iſte Aaron rarò aut nunqvam viſus, tantô, qvod fauſtum & felix ſit, theſaurô careret, qvaſi multum Chriſtianæ reipubl. intereſſet, ne tam futilis liber ignotus & ſepultus maneret & interiret, ſubjunxerunt; Tomoqve IX. Bibliorum Criticorum inſeruerūt; *ita habentem*: Antè qvàm reſpondeat, *inquit paginâ mihi in D. Sculteti Obſervation.* 81. *edit. Francofurt.* M. DC. XXII. oſtendite mihi, ait, numiſma cenſus: anteqvam ſententiam dicam, eamus in rem præſentem, videamus, qvod ſit, de qvo agitur. Captioſa eſt qvæſtio qvævis, ni termini probè diſcernantur. Qvis ſcit an de illo tributo agatur, qvod Pater meus lege ſuâ à populo ſuo in templum ſuum qvotannis deferri voluit, qvodqve vos integrâ conſcientiâ inde avertere non poteſtis: facilè primò intuitu id viderimus. Nam qvod ſinguli Judæi majores annorum XX. in templum qvotannis ferre juſſi erant pro numine propitiando ſuiqve redemptione, & in tutelam ædis ipſius vel tabernaculi, dimidium ſicli argentei erat, qvod efficiebat duas drachmas. Sicli autem imago & inſcriptio nota: unâ parte virga Aharonis perpetuò virens, cum hoc lemmate: JERUSCHALAIM KODSCHAH, *ſancta Jeruſalem*: alterâ, urna illa ſacra recondendæ mannæ, cum litteris: SCHEKEL JISRAEL, *ſiclus Iſraëliticus*: qvales ſicli hodiéqve etiam archetypi extant, & figuratum docti * viri exhibent.

Hunc ſiclum ſanctuarii colligebat archiſynagoga à Judæis ſynagogæ cuilibet ſubjectis, non ſolùm in Judæa,

* Beza ad Matth. XVII. 24. Anton. Auguſtin. Dial. II. del. meda. n. II.

dæa, ſed etiam in aliis Romanorum provinciis, & ipſa urbe Roma (ut Tullius eôdem locô meminit) & collectam pecuniam ad ſummum Pontificem Hieroſolymam tranſmittebat, & ut ſecurè tranſmitti poſſet è locis longinqvis trans maria, à præſidibus ſubſidia armata ac λόγον συγχωρήσεως impetrabat. Qvod adhuc duravit vivente Dominô ſub Auguſto Tiberióqve, uſqve ad everſam urbem à Tito Veſpaſiani F. Idqve in hiſtoria certum eſt, & errant pleriqve Homiliarii, qvi hanc fuiſſe Phariſæis dubitandi & qværendi cauſam ſcribunt, qvòd tributum Templo DEI deſtinatum debitumqve Romani ad ſe tranſtuliſſent. Cùm contrarium potiùs illos moverit, qvòd nimirùm Judæi, cùm præter oblationes alias primitiarum & decimarum, ſemiſiclum etiam iſtum ex lege qvotannis præſtarent; ſaltem de reliqvo liberi & immunes eſſe vellent, & pergrave eis videretur, Cæſari inſuper penſitatione obnoxios eſſe: ut rectè Theophylactus hôc locô annotavit: *Nil dicis*, inqvit ſub perſona illorum, *in gratiam Herodis aut Pilati. Dic igitur nobis, debemus & hominibus tributarii eſſe, & dare eis cenſum, ſicut & Deo didrachmum? an ſoli Deo tribuemus? nunqvid autem & Cæſari?*

Patet id ab ipſius Domini exemplo, qvem legimus † cùm veniſſet Capernaum, ubi freqventer verſari ſolebat, & exactores didrachmi eum de ſolutione per Petrum interpellarent, qvamvis ſe ab eo tributo liberum eſſe demonſtraret, qvòd ſicut reges gentium non ſuis filiis vectigalia imponant, ſed alienis, ita & DEI filio Templiqve ac regni paterni conſorti penſitatio illa non incumbat; tamen ne noceret exemplô,

† Matth. XVII. 24.

qvi venerat legem in omnibus implere, hoc qvoqve non recuſâſſe; & omnem ſuſpicionem contemptæ religionis, loci ſacri & ſacerdotii vitare volentem, de ſtatere invento in ore piſcis perſolvi tributum pro ſe & Petro juſſiſſe. Didrachma enim ſemiſiclum, ſtater duas didrachmas unumqve ſiclum efficit, ut Epiphanius VIII. de Pond. & menſ. docet. Qvod ipſum certè non ad exactores qvæſtoreſqve Romanos & capitis tributum ab eis impoſitum (ut Beda cum aliis qvibuſdam, & Budæus V. de Aſſe è noſtris, & poſtremò Maldonatus putârunt) ſed ad collationem illam antiqvam pro ſartis tectis templi à DEO inſtitutam referendum eſſe rectè Hilarius, & Theologorum noſtrorum pleriqve, & Hottomannus etiam intellexerunt. Et multis demum poſteà annis Titus everſâ urbe ſanctâ Judæis ſub imperio Romano ex patriis legibus vivere volentibus hanc conditionem impoſuit, ut Romæ ad Jovem Capitolinum illud argenti penderetur, Svetoniô & Dione auctoribus: cùm anteà occupatâ à ſe maximâ parte urbis Judæis exprobrâſſet, qvòd tributum illud Dei nomine & donaria permiſſu Romanorum collecta eos ſemper reddidiſſent ditiores & ferociores ad rebellandum, ut Joſephus vernaculus teſtis l. VII. c. XXVI. & Egeſippus l. I. c. XVII. prodiderunt.

Redeamus ad cenſum à Cæſare petitum, qvem primus Pompejus Judæis, anteà Romanorum fœderatis ſociis, gente victâ, urbéqve captâ, jure victoriæ impoſuit, Ducem eis ſtatuit, Judææ fines determinavit: deinde Cæſar Auguſtus*, cùm triumviris ſublatis ſolus rerum potiretur, in generali illa orbis deſcriptione, cùm per omnes ſubactas provincias cenſum

* Sulp. Sever. l. II.

ſum ageret, in Judæa etiam revocavit, & ad certam ſummam taxavit. Non jubet autem Dominus ſiclum illum templarium ſibi exhiberi, ac ne *numiſma* qvidem ſimpliciter, ut vulgò qvidam ſcribunt; tum temporis ſubjectionem Judæorum ex amiſſa ἀυτονομίᾳ & moneta apparuiſſe, qvòd non ſuâ ampliùs ſed Romanâ pecuniâ uti cogerentur. Nam nec ἀυτονομίαν penitus amiſerant, cùm etiam ſub Romanis ſacerdotes ſuos haberent, & ritus patrios liberè colerent, ut de ſiclo templi modò dictum, & mox de aliis id genus pluribus dicetur: & qvòd ſub Græcis regibus, nominatim autem Demetrio Syriæ rege, Simoni ſacerdoti magno Judæorum inter alia privilegia & immunitates conceſſum etiam legimus 1. Macc. XV. 6. *facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione ſua*; id eis à Romanis ademptum & abrogatum fuiſſe nuſqvam legimus. Qvamvis non neſciam, Mecœnatem Auguſto familiarem inter alias firmandi Imperii artes etiam ſvaſiſſe apud Dionem l. LII. nulli provinciæ alterius ponderis, menſuræ, vel monetæ qvàm Romanæ uſum concedere: μήτε δὲ νομίσματα, ἢ καὶ σαθμὰ, ἢ μέτρα ἴδιά τις ἀυτῶν ἐχέτω, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις καὶ ἐκεῖνοι πάντες χρήσθωσαν. Et ſanè fieri non potuit, cùm Judæi Romanis legibus & moribus aſſveſcerent, qvin & ad commodiorem certiorémqve commerciorum rationem ſimul vel Romanis nummis inter ſuos promiſcuè uterentur, vel ſaltem ſuas monetas ad calculi rationem illis uſitatam, denariariam dico & ſeſtertiariam, redigerent & computarent. Unde apud Euangeliſtas* etiam ſub Domini verbis *denariorum* &

* Matth. XX. 9. 13. Marc. XII. 15. Luc. XII. 6. Joh. VI. 7. Act. XIX. 19.

aſſariorum non una mentio. Sed tamen habuiſſe Judæos non minùs qvàm ante ſiclos ſuos, didrachmas, ſtateres, charactere vernaculô, in hiſtoria JESU paſſim qvoqve animadvertimus: qvin & ipſum triginta argenteis venditum: qvod cùm apud Matthæum cap. XXVI. 15. ita legitur: οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, Euſebius IV. Demonſtr. Euangel. ita tranſcripſit: τριάκοντα στατῆρας. Ex qvorum numero ſi vel illum argenteum, qvi Romæ adhuc apud Anton. Auguſtin. Dial. II. n. I. Herc. Proclu. p. 367. Bud. V. de Aſſe. in æde S. Crucis in Hieruſalem oſtentatur, vel qvi Pariſiis in æde Johannis Lateranenſis, trans vitrum ſpectandus, recognoſcamus, (meam enim fidem interponere nolim) apparebit Romanum minimè fuiſſe. Ut non dubitem, Judæos eô tempore nummos ſuos & monetas proprias etiam in commerciis adhuc habuiſſe, ſi non & cudiſſe.

Et hinc eſt, qvòd reqvirit Dominus non ſimpliciter exhiberi ſibi eorum numiſma, ſed *numiſma cenſus*, νόμισμα τοῦ κήνσου, id eſt, genus monetæ huic functioni proprium, qvô defungerentur cenſu ſuæ provinciæ indictô. Id enim eſt κῆνσος, ut Suidas exponit: Κῆνσος, νόμισμα ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω, τὸ κόπτω. Et iterum, κῆνσος, οὕτω τῇ ἐπιχωρίᾳ γλώσσῃ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Et Heſychius: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον. Et ita in toto Pandectarum titulo *De cenſibus*. Qvaſi dicat Dominus: Hôc inſpectô cujuſmodi ſit, facilè erit dijudicatu, DEO'ne an Cæſari eum dare debeatis. Unde apparet, Dominum de vi argumenti ſui jam certum fuiſſe, & qvod ſibi exhibendum eſſet, & ex eo neceſſariam conſeqventiam jam tum prævidiſſe. Si enim qvôvis pecuniæ

cuniæ genere, aut ſi etiam pluſqvam unô perſolvi tributum potuiſſet, planè incerta & fallax fuiſſet inſtantia de exhibendo numiſmate cenſus: propterea qvòd Phariſæi ſive caſu ſive malitiâ aliud nummi genus protuliſſent, nihil tale ad Cæſarem inferri inde, neqve adcommodari illa argumentatio potuiſſet.

Statuendum itaqve omninò eſt, ut hodiè in pleriſqve regnis, principatibus, rebuſpublicis, in qvibus certæ à ſubditis penſitationes exiguntur, capitationes, centeſimæ, telonea, & alia, uſu receptum & præſcriptum eſt, eaſdem in certo pecuniæ genere, qvod exigenti maximè placuerit, deponi; ut non ſufficiat valorem & qvantitatem ipſam dari, niſi in ea ſpecie expreſſa detur: ita veteres etiam Romanos, Cæſares præſertim, callidiſſimos gubernandi artifices, devictis gentibus omnibuſqve provinciis ſuis non tantùm tributa imperâſſe, ſed ea etiam in certo monetæ genere, & qvidem argenteo plerumqve (ut Plinius l. XXXIII. c. III. annotavit) neqve ſanè alio qvàm Romano, in ſignum nimirum ſubjectionis & recognitionem dominatus ſui; fiſco inferri voluiſſe. Stante republicâ, populis bello ſuperatis qvandóqve ſummas talentorum (qvod ſummæ genus Græcis etiam aliiſqve populis commune, τάλαντα) indictas apud Livium, Florum, Polybium legimus: aliqvando Bigatorum & Victoriatorum, qvæ Romanæ pecuniæ erant, & Conſulum nominibus inſignitæ. Recognoſcebant in ipſo earum charactere ſæpè gentes miſeræ calamitatem ſuam, cùm Romani non tantùm magiſtratuum ſuorum titulos, ſed illas ipſas expeditiones ſuas & victorias inſcriberent: ut exempli gratiâ (ne à Judæis longiùs abeamus) à M. Scauro, & A. Plautio, utroqve Cn. Pompeji in Aſia legato & proqvæſtore,

ſtore, qvorum Joſephus l. XIV. c. IV. Antiqvit. & l. I. Jud. Bell. c. VI. meminit, illô ARETAS REX Arabum, hôc BACHIUS JUDÆUS Arabiæ & ipſe regulus, ſuperati in denariis exprimuntur, ſupplicium ritu dextrô genu nixi, camelos tenentes, & olivæ ramum paci impetrandæ dextrâ prætendentes.

At ne hoc qvidem ad id, qvod quæritur ſatis eſt, videndúmqve modò eſt propriùs, qyid ſub Cæſare Auguſto in uſu fuerit. Si enim ſatis fuiſſet qvemvis denarium, modò Romanum, exhibere; habuiſſent autem Romani in uſu denariorum varia genera, in qveis veteres regii, conſulares, dictatorii, triumvirales, ædilitii, bigati, victoriati (ut habuiſſe eos vel Pomponius J. C. * illô ævô meminit, & magna eorum copia ad noſtrum uſqve ævum ſuperat) potuiſſet & ſic qvæſtio & argumentum de denario cenſus, ſeu caſu, ſeu dolô facilè eludi. Et hoc eſt illud, qvod magnos illos Eccleſiæ Romanæ Doctores fugit, nobis autem laicis & ſemidoctis non ita eſt difficile explicatu. Scribit enim Cæſar Baronius Cardinalis, † *Moris fuiſſe apud Romanos, ut numiſmata pro ratione tributi vel cenſus ab Impp. cuderentur, nec uno ſemper modô eadem permanerent, ſed ſecundùm incrementa & decrementa tributorum & ipſa mutarentur: adeò ut numiſmata tributorum à ceteris uſualis pecuniæ nummis in eo differrent, qvòd ipſorum precium ſemper idem eſſet; numiſmata verò cenſus & tributi, qvoties mutaretur ejus qvantitas, eadem ad rationem tributi*

* L. numiſmatum 28. D. de Uſufr.

† Annalium l. I. ad Ann. Chriſti XXXIV. Tiberii Imperat. XVIII.

tributi noviter formarentur. Et affert locum Lampridii in Alexandro, qvem, qvia & ad cenſum hunc non pertinet, & ævi longè poſterioris eſt, ne recitandum qvidem duxi. Certè peculiare pro modo inductionum nummi genus, modò gravius, modò lævius, ſubinde fabricatum nuſqvam adhuc legi: & hôc ipſô noſtrô locô dicitur prolatus denarius pro numiſmate cenſus, vulgatum & tritum nummi genus, qvod drachmam Atticam pondere æqvaret, & decem aſſes ære Cypriô cuſos valeret, ut Voluſius Mœtianus, Priſcianus, Fannius, Plinius docent. Et qvod deinceps ſub Tito Judæis impoſitum erat didrachmum, nil aliud erat, qvàm duo denarii, ut eſt compertiſſimum. Non igitur ratione ponderis & valoris. ſed formæ potiùs certum qvendam nummum Cæſar in tributo exigebat, nimirum (ut rem tandem aperiam) vultu & nomine ſuô inſignitum. Nam ut ſtante republica per triumviros & Conſules monetæ ſeriebantur: ita principatu ad unum devolutô, ut in operibus omnibus publicis ſui nominis inſcriptionem Cæſares affectârunt, vel Marcô J.C. *teſte; ſic in moneta qvoqve publica caput ſuum cum ornamentis Imperatoriis, ſuaqve geſta & dignitatum memoriam conſpici voluerunt: idqve præſertim in tributo à provinciis accipiendo ſtrictiſſimè ſervârunt, ut heic Euangeliſtæ locus auro contra non carus evidenter docet. De Nerone ſcribit Svetonius, c. XLIV. eô faſtidiô & acerbitate tributa & debita exegiſſe, ut nummos etiam ſuos non niſi aſperos, id eſt, ab officina adhuc recentes, velutive ab incude calentes, & novitate qvâdam grata (ut Apulejus loqvitur) candentes acciperet.

* l. III. D. de per. publ.

peret. Obvia ſunt loca in ipſis principum conſtitutionibus per Codicem Theodoſii & Juſtiniani, etiam cùm de illationibus publicis, fiſcalibus, reditibus, vectigalibus, auro coronario, adæratione agitur, ubi *ſolidi principum veneratione formali*, *æternales vultus*, *ſacrum os*, *divini vultus* eis impreſſi dicuntur. Adeóqve (qvod miremur) manſit ea conſvetudo apud Romanos principes integra & diuturna, ut etiam viribus ſuis acciſis & Imperiô declinante hanc majeſtatis ſuæ ſignificationem nollent remittere. Vel de Juſtiniano II. dicto poſtea Rhinotmeto legimus *, qvi fœdus Arabicum, qvod cum rege Habdimelich habebat, ultro & magnô quidem ſuô malô rupit, causâ ex eo ſumptâ, qvòd annui tributi moneta ab illo miſſa nón Romanum (ut ipſe volebat) ſignum, ſed novum & anteà inviſum Arabicum haberet: cùm qvidem Habdimelich multum deprecaretur, qvando Arabibus nefas eſſet Romanorum inciſione & figuratione vultuum in ſuis nummis uti, & pondus auri ſufficiens Cæſari offerret, ne Romani damnum ullum cauſſari poſſent.

Et ſanè credibile eſt, vel eô gravius fuiſſe Judæis tributum Romanis pendere, qvod ultra diſpendium argenti, Cæſaris etiam imaginem conqvirere, manibus contrectare, atqve adeò illi afferre cogerentur. Cùm memores ipſi divinæ legis omne pictum ſculptumqve ſummæ execrationi haberent, adeò ut non ſemel, non dicam ob ſtatuas hominum aut Deorum, aut aqvilam argenteam in templis eorum collocatas, ſed ſaltem ob militaria inſignia exercituum Romanorum regioni illata graves turbas dederint, vitam potiùs

* Zonar. T. III. p. 73. P. Diacon. Hiſt. Miſc. IX.

tiùs profundere, qvàm tale qvid admittere parati. Scribit Joſephus †, omnes ante Pilatum Judææ rectores ſine ſignis ingredi muros civitatis conſveviſſe. Pilatum primum clanculum ingreſſum ſigna militaria ſecum allata, in qvibus imagines Cæſaris erant, in urbe conſtituiſſe. Judæis diu multùmqve inſtantibus ut tollerentur, tamen qvòd in Cæſaris injuriam id vergere videretur, facere noluiſſe, mortem inſuper illis comminatum niſi qvieſcerent. Illos mortem ſe potiùs electuros, qvàm patriam legem tranſgreſſuros palam adfirmâſſe; ut Pilatus tandem admiratus ſive religionem ſive pertinaciam illorum, ſigna Cæſaream transferri juſſerit. Qvod ipſum initium ruinæ gentis fuiſſe, nec aliunde fatale illud bellum cum Romanis & ſurrexiſſe & creviſſe Egeſippus ſcribit. Taciti V. Hiſtor. V. 8. teſtimonium de gente Judæa hôc locô non omittam, qvam ait *mente ſolâ unumqve numen intelligere, ſummum illud & æternum: nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis habere: non Regibus hanc adulationem, non Cæſaribus honorem deferre.*

Simile qvid etiamnum videmus in Turcis, qvi cùm habeant legem Mahometis, qvâ ſtatuas, ſimulacra, ſculptos pictoſqve iconas ſeverè prohibuit, ipſi Muſulmanni (Leunclavii fide digni & αὐτόπτȣ narratoris fide referam Pandect. Turc. n. 55.) non tantùm magnô zelô poſitas in templis per Chriſtianos imagines frangere, diſturbare, abolere ſolent; ſed & Romanorum Græcorúmqve principum capita in nummis antiqvis expreſſa conſpicati, violari legem Prophetæ cla-

† l. XVII. Antiqvit. c. V. & l. XVIII. c. XI. XV. & l. II. Bell. Jud. c. VIII.

clamant, & uſum nummorum ejuſmodi veterum omnino è medio tollendum cenſent. Qvamvis hodiè non admodum eos hâc religione, in pecuniis ſaltem, tangi idem auctor teſtetur. *Hac pereruditè Freherus Ampliſſimus iſta in diſſertatione, laudata quoqve Illuſtri & erudito Dn. Gisberto Cupero circa finem præfationis notarum in Lactantium de Mortibus Perſeqvutorum.*

Porrò κῆνσος accipitur apud Syrum & HugonemGrotium hîc pro capitatione*, ſeu pecunia indicta in ſingula capita, qvæ mandatô Cæſaris fuerunt recenſita & deſcriptione comprehenſa; adpellat enim* דינרא דכסף רישא denarium argenti capitationis. *Diſtingvendum ſcilicet cum Caſaubono, dictô locô, p. 454.* inter tributum, qvod pendebatur pro modo agri, qvem qviſqve poſſideret, & aliorum bonorum; & capitationem, quæ capitibus ſingulorum ſubditorum aliqvando imponebatur & genus fuit exactionis vel graviſſimæ. *Beza in c. XXII. Matth. v. 17.* Cenſum, κῆνσον. Vocabulum eſt Latinum; qvô propriè ſignificatur facultatum æſtimatio, pro cujus ratione, prout tempora tulerunt, provinciales, auctore ejus rei Auguſtô, ſublatis omnibus vectigalibus, tributum pependerunt. *Sanè hôc locô non erit æſtimatio facultatum, ſed annuum illud tributum, qvod Judæi viritim de ſingulis capitibus pendebant. Et hoc qvidem tributum, auctore Caſp. Bertramô Theologô Naumburgenſi in Matth. XVII. 24. p. m. 491.* Sanctuario *priùs &* Templo *ab agentibus XX. ad L. ſolvebatur Exod. XXX. 13. quô DEUS conſervari voluit ædificium templi, reparationem librorum & inſtrumentorum; juvari item pauperes, ſacerdotes, viduas & orphanos. Verùm amiſſâ libertate, Judæi* Capitolio Romano *poſteà numerare*

pecu-

pecuniam illam cogebantur. Joſeph. VII. B. J. c. XXVI. Primâ vice viritim pendebatur hoc tributum Romanis ſub natalem Chriſti, imperitante Auguſtô Luc. II. 1. Annô qvidem Mundi CIↃ CIↃ CIↃ IↃCCC LXXXVII. *al* CIↃ CIↃ CIↃ DCCCC LXX. *Pompejus qvidem (qvem* Magnum *eâ tempeſtate uſurpabant) jam anteà tributariam fecerat Judæam, ſed tum nonniſi certa pecunia ſumma à ſingulis civitatibus in genere, exigebatur. Auguſtus verò poſtmodùm* cuivis capiti in ſpecie *cenſum iſtum impoſuit. Imò, ſi Dioni credimus, hæc capitatio, ab Auguſto duobus modis fuit inſtituta: nempe in* patres familias, *vel domos ſingulas;* & *in* perſonas *vel capita ſingularia qvæqve. Quandoqvidem verò totum hoc negotium mirè lib. III.* παρέργων *c. X. complexus eſt paullò ante â nobis laudatus Marqvardus Freherus, conſultiſſimus vir omnis divini atque humani juris, non pigrabor ejus verba, qvod non paſſim in omnium manibus verſentur, adſcribere:* Tributi, *inqvit;* ſtipendiive duo ſunt genera, *qvæ capitibus,* & *qvæ Solo imponuntur,* l. ult. D. de Cenſib. *qvæ prædiis,* & *qvæ moventibus*, ut Scævola loqvitur l. generali. 32. §. ult D. de uſufr. leg. utrumqve *tributum* vocatur, utrumqve *cenſus* ut apparet ex loco Ulpiani in l. 3. in princ. D. de cenſib. Itaqve *cenſum* Suidas definit ἐτήσιον τέλος, ἐξέτασιν τοῦ ῥωμαϊκοῦ πλήθους, Heſychius: εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου. Utrumqve erat ordinarium, utrumqve ſimul pendebant in provinciam redactæ regiones, niſi qvæ juris Italici eſſent. Qvi nominis honos eas utroqve eximebat. Atqve unô remiſſô non etiam continuò alterum remiſſum cenſebatur, niſi fieret expreſſâ, aut juris Italici (ut dictum) prærogativa tribueretur, d. l. ult. Judææ qvidem, duræ & rebelli, utrumqve initiò ab Augu-

ſto impoſitum non dubitatur; eôque nomine deſcriptionem factam capitum primò, qvorqvot Judæam inhabitarent, deinde facultatum, qvantam ſinguli in bonis haberent: Sigon. de rep. Hebr. lib. V. in fine: Nam & Qvirinum Præſidem miſtim ἀπογραφὴν & ἀποτίμησιν feciſſe τῶν οὐσιῶν Joſephus diſertè ſcribit. Et cùm *Syri Ciliceſqve qvotannis centeſimam facultatum penderent, Judæos inſuper tributum capitis gravius qvàm reliqvarum facultatum pependiſſe* Appianus in Syriacis auctor eſt: διὰ ταῦτ' ἐστὶν Ἰουδαίοις, inqvit, *ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. ἔστι καὶ Σύροις καὶ Κίλιξιν ἐτήσιος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ.* Et ſic utrumqve tributum in eos à ſeqventibus Principibus continuatum vel ex eo colligere eſt, qvod Ulpianus ſcribit, *colonias in Syria Cæſarienſem & Æliam Capitolinam, neutram Italicum jus habere*, l. 1. D de cenſibus. Qvæ verò & qvanta capitatio iſta fuerit inter eruditos qværitur. Nam alius qvidem uniforme illud & in omnia capita æqvale, eamqve in rem peculiariter cuſum nummum, & qvidem (indiciò Euangeliſtæ de colloqvio Domini cum Phariſæis) Denarium fuiſſe ſcribit: illum, qvi merces diurni ſcilicet unius operarii erat & ſtipendium diurnum unius militis: & modeſtum tributum laudat, (Cæſar Baron. Tom I. Ann. Eccl.) Alius palam diſſentiens ridiculum hoc putat: *niſi ſi Denarius aureus*, inqvit, *fuerit*, (Lipſ. in Admirand. lib. II. cap. III.) Et Strabo ſanè pro hoc', qvi non modeſtum ſed βαρύτερον ſolitò capitationis Judaicæ tributum facit. Sed & Tacitus II. Annal. XLII. 8. ſub Tiberio Ann U C. DCCLXX. *Provincias Syriam atqve Judæam, feſſas oneribus, diminutionem tributi oráſſe.* Itaqve nec inducere in animum idem vir magnus poteſt, indiſcre-

tum

tum uniforme in omnia capita, multoqve minus certum genus nummi ad hoc tributi genus cuſum fuiſſe; qvòd hôc poſitô injuſtitia manifeſta adhæreat, ut ſi qvis pauper liberos & familiam multam habeat, contra dives & cælebs ſit & orbus. Unde Strabonis de Judæis locum ita accipit. *Solvere qvidem illos cenſum & pro agrorum modo, & opum reliqvarum, ſed æſtimatione omnium factâ etiam centeſimam pro ipſo capite dare: ita ut qvi decem aureorum millia, e. g in cenſu habet, ſolvat ex illis annuè centena. Hocqve placere ſibi ab æqvalitatem, & qvia pauperes & tenues ſic non preſſi.* Qvod equidem totum, & qvæ ſeqvuntur, non ſatis capio. Tenendùm eſt certè, *tributum ſoli*, i.e. agrorum, *pro modo & latitudine eorum indictum fuiſſe*, ut Ulpianus de cenſibus docet; vel potiùs pro feracitate. *Stipendium enim & tributum onera ſunt fructuum*, l. VII. de uſufr. l. neque D. de impenſ. in res dotal. fact. Unde Mecænas apud Dionem, φόρον ἐπιτάξας πᾶσιν ἀπλῶς τοῖς ἐπικαρπίαν τινὰ τῷ κεκτημένῳ αὐτὰ παρέχουσι. Nec agris ſolùm ſed ceteris etiam facultatibus, ædibus, auro facto & infecto, pecuniæ numeratæ, mancipiis, gregibus tributa imponebantur pro eorum modo. Qvi ut inter divites & inopes diverſus, ita & tributi onus. Neqve hoc in opibus valdè formidandum. At capitis tributum in omnes peræqve unum, liberos modò (nam ſervorum nulla capita, ſed pecudùm inſtar pro pretiis ſuis à Domino cum ceteris fortunis horum tributum dependebatur) divites & tenues, maritos & cælibes, parentes & orbos. Non dicam, juvenes & ſenes, qvod ei rei modus datus, ut nec ante vigeſimum annum capite obligarentur, & ſenectuti ſua immunitas eſſet, niſi qvòd in Judæa

hoc etiam aliqvantulum aggravatum, Ulpianus auctor eſt d. l. 3. D. de cenſibus. Et hoc ſanè, nimirum Uniforme per omnia capita capitationis tributum fuiſſe, tam certum eſt, qvàm inter ipſos Judæos Didrachmi penſitatio lege divinâ Exod. XXX. inſtituta non variavit, & à Veſpaſiano deinde ita innovata *ut omnes ubiqve Judæi* (verba ſunt Joſephi, Zonaræ, Xiphilini) *duas illas drachmas Jovi Capitolino Romæ penderent, qvas antea Templo Hieroſolymitano pependerant:* qvàm certum eſt vectigalis aut collectæ genus (ut cum recentioribus loqvar) qvod ſingulis familiis per focos, caminos fumantes aut focularia imponitur, nec Græcis incognitum & καπνικὸν dictum, per omnes æqvè familias æqvale eſſe, nec à divitum domibus qvàm pauperum tabernis aliud exigi. Qvæ etiam res facit ut in perſonas vel capita, in domos vel fumaria qvod exigitur, modicum & tolerabile plerumqve definiatur omnibus æqvum; qvod nec tenuibus grave ſit ad pendendum, & interim numerô pendentium exactori magnam ſummam conficiat. Vide Ubald. de collectis, num. XIII. XX. XXV. Cedren. inſtaur. Novell Iſaci Comneni. Jam modum utriuſqve tributi ſi qvis reqvirat, etſi nec liqvidò hunc conſtitui poſſe credam, nec fuiſſe ſemper certum putem, ſed ſub hoc vel illo Principe, in illam vel illam gentem, pro cauſis vel arbitrio exauctum aut remiſſum, tamen non video cur aut in tributo bonorum Centeſimam (qui ferè modus hodiè etiam ubiqve gentium ſervatur) aut in capitatione Denarium in ſingulos exceſſiſſe putemus. Sit Denarius decem cupreorum aſſium nummus, drachmali pondere (qvis enim *aureum Denarium* uſpiam legit) tamen hoc & in capita ſingula, ſupra

bono-

bonorum cenſum, qvotannis petitum, tenuioribus non ita leve, & in tanta gente immenſam victoribus opum vim cumulavit. Neqve Deus ipſe niſi Didrachmum, i.e. duos Denarios, lege ſuâ in Templi uſum exegerat. Dum itaqve Phariſæi juſſi *numiſma cenſus exhibere* Denarium exhibent Tiberii Cæſaris imagine percuſſum, capitationis nummum exhibent. Puto enim illos de capitis potiſſimum cenſu, qvem tantopere ſuâ conditione indignum oderant & averſabantur, cum Domino agere & inqvirere voluiſſe. Qvod ſi de tributo ſoli potius aut conjunctim de utroqve actum fuit, ut Denarius unus ei rei non ſufficerit, hoc ſaltem ex eo loco obſervare operæ pretium fuerit, qvandoqvidem non Staterem, non Drachmam, non Siclum, ſed Denarium protulerunt, mori Romanorum eâ ratione ſatisfactum, qvi tributa & indictiones ſuas non tantùm rigidè exegerunt, ſed nec in alio qvàm Romano nummo acceperunt, ut eſt aliò locô à nobis fuſiùs expoſitum, (orat. de Numiſmate cenſus.) Itaqve aut ſingulis Denariis pro capitis cenſu defungi Judæi potuerunt, aut capitationem ſimul & ſoli tributum ad denariorum rationem ab exactoribus redigi conſueviſſe, & in Denario, notiſſimo Romanæ monetæ genere, à provincialibus perſolvi debuiſſe hinc videmus. Qvod & Strabonis locus lib. X. de Gyaro inſula adjuvat, συμπλέων δὴ ἔλεγε πρὸς τοὺς πυνθανομένους, ὅτι πρεσβεύοι περὶ κουφισμοῦ τοῦ φόρου· τελεῖν γὰρ δραχμὰς (*denarios* interpres vertit, rectiſſimè) ἑκατὸν πεντήκοντα, καὶ τὰς ἑκατὸν χαλεπῶς ἂν τελοῖεν. *Hæc ille. Veluti verò palam eſt, cùm Chriſtus procul ambiguo oſtenſum ſive exhibitum ſibi denarium manibus contrectârit, qvàm ridiculi ſint qvidam Monachi ſingularis cujuſdam opinione ſanctitatis pecuniam contre-*

*ctare reformidantes, qvibus præſens præter Domini exemplum, opponendum eſt & B. Mariæ virginis Matth. II. 11. item Barnabæ & Sauli Actuum XI. 30. plurimorumqve aliorum: ita magni, capientes exemplum à Magiſtro, & hôc & ſuperiore fuerunt viri ſeculô, diligenter veterem qvi inſpexerint pecuniam, non præter rem rati, ex ejus cognitione multum ſe lucis ſcriptoribus antiqvis & hiſtoriæ adferre poſſe; qvos omnes hîc enumerare, alibi qvod ex parte jam tum *fecimus, & antè nos alii, neqve ita pridem inſigne illud Academiæ Lipſenſis decus Dn. Adamus Rechenbergius in erudita præfatione Scriptoribus aliqvot inſigni.r.bus veteris nummariæ rei hiſtoriæ præmiſſa, nihil attinet. Meâ ſententiâ, qvi Illuſtris Ezechielis Spanhemii † egregium de præſtantia & uſu numiſmatum antiqvorum Commentarium, Romæ* CIↃ IↃC LXV. *in 4to, & Amſtelodami* CIↃ IↃ C LXXI. *itidem in 4to. ſibi comparaverit, cum incomparabili Joh. Friderici Gronovii opere de Seſtertiis, ad profanos ſcriptores intelligendos, ceteris ad tempus facilè carere poteſt. In præſenti ſvaſu & conſiliô viri non inepti nec ineruditi, ſed cum paucis ob doctrinam in Belgio comparandi, ſeqventes, qvos ipſe ex inſtructiſſima ſua nobis ſuppe-*

ditavit

* Vide, ſi placet, qvæ ad Eraſmum notavi de Ratione Studii c. V, 12. p. 91. b in Conſiliis & Methodis aureis ſtudiorum optimè inſtituendorum Roterodami CIↃ IↃ C LXXXXII in 4to excuſis.

† Vid. Dn. de Sallo, aliàs Hedouvillium dictum, Curiæ Pariſienſis qvondam Conſiliarium in p. 43. ſ. Ephemerid. Eruditor. Anni M. DC. LXV. d. II. Febr. Lipſiæ & Francof. M DC. LXXI. Latinè à Friderico Nitzſchio editorum.

ditavit bibliotheca (nam ex noſtra qvalicumqve alios huic Faſciculo deſtinaveramus, qvos nunc aliis, ſi DEUS fecerit, occaſioni reſervamus, qvamqvam nec iis ipſis ex parte deſtituti) tibi ſiſtimus Lector amice tractatus, nimirum nonnullos vaſtiſſimi qvondam ingenii viri Hermanni Conringii Profeſſoris Helmſtadienſis celeberrimi, qvos Chriſtophoro Arnoldo, Clariſſimo Norimbergenſium Theologo in Diſſertatione de loco claſſico Geneſ. XLIX 10. Illuſtris & in Orientalibus nemini ſecundus Dn Joh. Chriſtoph. Wagenſeilius in p. 124. multis commendat: cujus verba, qvoniam qvinto in Faſciculo tota illa Diſſertatio repetitur, abſcribere ſuperſedeo. Conringio addo Staniſlai Grſepſii Poloni lingvarum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritiſſimi, judice Simone Starovolciô itidem Polonô in p. 84. centum Elogiorum Illuſtrium Poloniæ Scriptorum, vitâ & moribus philoſophi, ac annô 1572. mortui, commentarium de multiplici ſiclo & talento Hebraico, item de Menſuris Hebraicis tam aridorum qvàm liqvidorum, primùm Antverpiæ in officina Chriſtoph. Plantini, M. D. LXVIII. in 8. poſteà & in Germania, qvando, & ubi neſcio, in 12. impreſſum. Scribo Grſepſii, *ex imperitia enim Lingvæ Polonicæ poſt Thomam Dempſterum in Paralipomenis ad Roſini VII. Antiqvitatum Roman. cap. XXXI. pag. 722. a. edit. Genev.* CIↃIↃCXL *Jacobus Uſſerius Armachanus ipſum* Giſepſium, *& Philippus Labbe, Bituricus, Societatis Jeſu Presbyter in parte II. Bibliothecæ Nummariæ p. 109. editionis Lugdunſis Batav. 1682. nominat* Grepſium, *neſcientes uni ſæpe tres conſonantes præponi vocali in una ſyllaba apud Polonos. Uſſerii verba in Chronologiæ ſacræ part. alter. c. IV. p. m. 65. edit. Oxonienſ. Anno 1660. ſunt hæc:* Ut admodùm ridiculè

Staniſlaus Giſepſius in futili libello de multiplici ſiclo & talentô Hebraico ex corrupto hoc Joſephi loco abſurdiſſimum hoc pronunciatum deduxerit: *Sicut ſex talenta dicuntur talentum, ita & ſex anni dicuntur annus apud Hebræos. Hæc ille Hiberniæ Primas; quæ, Lector, tibi judicanda relinqvo. Labbei dictô locô verba hæc ſunt:* Staniſlai Grepſii Poloni Epitome de Ponderibus & menſuris, qvæ apud profanos leguntur auctores ex Gvillelmo Budæo potiſſimum deſumpta. Item de multiplici ſiclo & talento Hebræorum ac de menſuris Hebraicis tam aridorum qvàm liqvidorum. Antverpiæ apud Chriſtophorum Plantinum Annô 1568. in 8. Porrò ſuâ præfatione invehitur in Georgium Agricolam, jure, an injuriâ, viderint eruditi. *At Matthæus Hoſtus Berlinenſis, dialecti Polonicæ peritior, Francofurtanæ enim ad Viadrum in Academia & ſic in Poloniæ vicinia, ſupra L. annos Græcæ Lingvæ Profeſſor, paſſim hunc in Hiſtorica Antiqvitate rei nummariæ adducens, ſemper ipſum nomine Grſepſii vocavit. Vide vel l. III. c. VII. § XII. p 220. edition. Amſtelodam:* CIↃ IↃ CXCII. *Item l. IV. c. IV. §. X. p. 294. §. XXI. p. 296. §. XXX. p. 297. c. V. §. XIII. p. 299. Adde Herm Conringium in c. X. Paradoxorum de Nummis Hebræor. p. 218. præſentis hujus editionis noſtræ & alibi paſſim. Superaddidi iſti & Cl. Salmaſii epiſtolam eodem de ponderum & menſurarum argumento, cum gemino additamento, qvorum prius continet menſuras vaſorum ſacrorum, & poſterius pecuniam & pondera ſacra, qvorum Scriptura ſacra meminit. Antecedit hos* elegans (*ut vocatur C. Barthio in p. 106. Animadverſion. ad Galli Confeſſoris Chriſtianæ doctrinæ Compendium*) *tractatus Joannis Hopkinſoni Angli, Synopſis Paradiſi, ſive Paradiſi deſcriptio,* maxi-

maximo Boeclero noſtro in p.194. Hiſtoria Univerſalis, Johanni Conrado Dieterico in Antiqvitatibus Biblicis, & M. Johanni Herbinio Bicinâ Sileſio, Gymnaſii Bojanovienſis Profeſſori Primario in Diſſertatione de Cataractis Paradiſiacis, primò Haſniæ M.DC.LXX. in 4to. & iteratò Amſtelodami M.DC. LXXXVIII. cum Figuris itidem in 4to. excuſa, paſſim laudata, qvorum loca ad Hopkinſonum in margine adduxi, oblitus ad p. 16. num. 3. denuô allegare Herbinium c. I. §. XX. Iſtum verò locum, qvem B. Dietericus in p. 84. b. Antiqvitat. Biblicar. ex Hopkinſono adducit, nullibi hactenus invenire potui. En verba viri. Cur autem *Euphrates* dicatur, probabilem nonnulli aſſignant rationem, videlicet, qvoniam h. l. in Hebræo habeatur הוא פרת, ex qvo poſteà Euphrates, qvam Græci ex ignorantia lingvæ παρὰ τὸ εὐφραίνειν, i. e. *ab exhilarando* deducunt Ambroſ. *lib. de Parad. c. III.* Hinc Hopkinſonus *p.* 17. *De Perath*, inqvit, *parata eſt Etymologia, & qvi aliam proferunt παρὰ τὸ εὐφραίνειν, abdita originum primævarum ignorant, adeundiqve qvi εὐφραδῶς ſciunt revelare cauſas nominum ab ultima antiqvitate, in qva dum Græci pleriqve pueri ſunt, ex ſua lingva ſolent cenſere exotica. Non alienum id hoc moneret Græcos, cùm ſuâ incude voces formant, ad ſuam formam fabricare, & cùm à Barbaris nomina accipiunt, terminare, prout lingva ipſorum capax eſt. Poſteri ſeri ignoratâ vocis origine æſtimant eam ex ſua ſede, rationeſqve Etymologiſtæ fingunt miras; interdum monſtroſas, aliis ad aliam vocantibus. Nullâ magis ratione peculiare ſibi attribuere & arrogare, qvod aliunde tamen ad eos venit. Arrogantes præ aliis nolunt ſe ſubmittere aliis, qvaſi de æſtimatione & dignatione aliqvid de-*

cederet. Seſe magnifacientes nolunt confiteri, per qvos profecerint, & unde communicatum fuerit, qvod jactitant. Tantò hinc ſe æſtimabant pluris Ægyptii, qvantò plura præ aliis prærogativa antiqvitatis habebant, Græcoſqve hîc ut pueros cenſebant. Hæc ille. Sanè aut memoria hîc fugit virum doctum, aut aliô uſus eſt exemplô noſtris. Duo conſuluimus, Lugdunenſe Batav. qvod ex officina Plantiniana prodiit Annô CIↃ IↃ IIC. *apud Chriſtoph Raphelengium in 4to. & Londinenſe, Ludovici Tenæ Accitani, olim in Complutenſi Academia Primarii Theologiæ Profeſſoris, & Regalium Collegiorum Adminiſtratoris, ſacrorum Bibliorum interpretis Commentariis & Diſputationibus in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos ſubjunctum in fol. M.DC.LXI. p.m. 845. ſ. in neutro leges adducta Dieterico. Fortè errârunt operæ, qvod planè non novum in illo libro, uſqve enim adeò ſcatet vitiis typographicis ſæpè ſenſum ipſum pervertentibus, ut cum tædio aliqvando ab ipſo recedam. Enimverò malè de republica litteraria meruit, correctioni qvi præfuit. Eſt, (ut Petri Danielis Huetii editum de Paradiſo ſemel, iterum, atqve tertiô Librum omniumqve in manibus hærentem, taceam, qvo de mirè multi judicant) & in medio non ſolùm Cl. Joh. Henr. Höttingeri Diſputatio in Enneade Diſſertationum, uti vocat Philologico-Theologicarum Heidelbergenſium n. III. ſed & noſtri Davidis Chriſtiani Tractatus de Paradiſo Hiſtoricè, Geographicè, Philologicè & Theologicè delineato, Diſputationibus ejuſdem qvatuor de Meſſia ſubjunctus Gieſſæ M.DC.LVII. in 4. Item Cl. Georgii Caſpari Kirchmajeri Profeſſoris Eloqventiæ Witteberg. Diſſertatio de Paradiſo, qvæ eſt prima Deliciarum Æſtivar. complectentium tres alias qvoqve doctas diſſertationes, nimirum de Ave Paradiſi*

Ma-

Manucodiata, *Imperio antediluviano & Arca Noæ cum deſcriptione diluvii*, *Wittebergæ* CIↃ IↃ C LXII. *in* 8*t*. *Congeſſit & multa, pro more, hac de re, erudita, nec lectu injucunda vel inutilia, maximum, dum viveret, Germaniæ ornamentum, Jo. Henr. Bœclerus, Diſſert. IX. Academicâ. p m.* 453. *Quæ Samuel Bochartus effagitante Senatore qvondam Pariſienſi Cl. Sarraviô, ut ipſe ſuis me docet in epiſtolis, p.* 6. *& Stephanus Morinus Eccleſiæ Amſteiodamenſis Gallicæ Paſtor & in Schola ibidem illuſtri Lingvarum Orientalium Profeſſor, dicti qvondam Bocharti Collega Cadomi, de Paradiſo commentati ſunt habentur in initio operum doctiſſimi Bocharti ſuperiore annô Lugduni Batavorum & Trajecti ad Rhenum editorum in folio. Jam olim deſiderabat illum Bocharti de Paradiſo tractatum videre & Thomas Reineſius, ut teſtatur decima tertia ejus ad Joh. Vorſtium epiſtola p. m.* 36. *Seqvitur ipſius illius Johannis Vorſtii Weſſelb. Dithmarſi variis eruditis ingenii monumentis celebris docta Diatriba de Adagiis Novi Teſtamenti Coloniæ olim Brandenburgicæ (ubi Rectoris munere in Schola Reformata functus eſt) Anno* CIↃ CↃ C LXX. *in* 4*to. edita, & aliqvoties laudata viro his in in litteris magno Cl. Dn. D. Johanni Oleario Græcæ Lingvæ in Lipſenſi Academia Profeſſori celeberrimo in erudita, & inde ſemel atqve iterum Lipſiæ recuſa de ſtylo Novi Teſtam. diſſertatione Philologico-Theologica. Vide vel p.* 48. 49. 65. *& alibi paſſim. Latitant permulta in codice Veteris & Novi Teſtam. nondum dignè ſatis excuſſa adagia. Ut enim taceam Johannem de Plantavit de la Pauſe, Lodovenſium in Gallia Narbonenſi Epiſcopum & Dominum, Montisbruni Comitem, magnum Reginæ Catholicæ in Hiſpania Eleemoſynarium,*

rium, & S. *Martini Ruricurtani Bellovacenſis Abbatem*, *cujus non ſolùm in eruditorum manibus eſt Florilegium Biblicum*, *complectens omnes utriuſqve Teſtamenti ſententias Hebraicè & Gracè*, *cum verſione Latina*, & *brevi juxta literalem ſenſum commentario illuſtratas*: *ſed & Florilegium Rabbinicum*, *continens pracipuas veterum Rabbinorùm ſententias*, *verſione Latinâ & ſcholiis*, *ubi opus eſt*, *illuſtratas*, *Lodova duobus voluminibus Anno* 1645. *in folio*, *ut ajunt*, *impreſſum*; *Cui ultimo acceſſerunt ſexcenta Gracorum & Latinorum Apophthegmata*, *eodem ab auctore Hebraicè reddita*, & *ſcholiis*, *ubi opus eſt*, (*ſic enim habent verba inſcriptionis libri*) *illuſtrata*. *Uti & Bibliotheca Rabbinica*, *complectens omnes ferè Rabbinorum libros*, *tàm in lucem editos*, *qvàm manu ſolùm ſcriptos*, *ordine Alphabeticô digeſta*. *Hunc*, *dico*, *ut auctorem mittam*, *ſuperiore ſeculô doctiſſimus & de Hebrais litteris optimè meritus vir Paullus Fagius veterum Hebraorum apophthegmata & ſententias librô*, *qvi* Pirke avoth *vocatur*, *comprehenſas*, *in Chriſtianorum uſum edidit*, *Latinè tranſtulit*, & *ſcholiis ſuis illuſtravit*, *ut & ſententias morales Ben Syra*. *Noſtrô etiam ſeculô D. Joh. Druſius qvaſdam inſuper decurias addidit Adagiorum Talmudicorum*, *cum eruditis admodùm ſuis notis*, *de qvibus ita Wolfgangus Franzius in aureo de Interpretatione Sacrar. ſcripturarum tractatu p. m.* 89. *edit. Witebergenſ.* CIↃ IↃ C XXXIV. Præ omnibus etiam aliis in hac paleſtra ſeſe ſolertiſſimum præſtitit, qvamqvam aliàs in religione à nobis diſſentiens *J. Druſius*, qvi ſcripſit ſingulares aliqvot libros proverbiorum, & diligente induſtriâ hoc facit: ut ſtilum Spiritus Sancti legentibus propriiſſimè explanet. Optandum eſſet, ut exemplum

plum iſtius plurimi æmularentur. *Præprimis commendatum ſibi habeat ſtudioſa juventus Clariſſimi viri & de hoc litterarum genere incomparabiliter meriti Johannis Buxtorfi Filii Florilegium Hebraicum, continens elegantes ſententias, Proverbia, Apophthegmata & ſimilitudines. Baſil. M. DC. XLVIII. in 8t. Sunt ſanè & egregia ſcriptis in Patrum antiqvioribus adagia, qvorum collectio inſignis, ſed oppidò pauci ſunt, hoc qvi in ſtudiorum genus operam dederint, & aliqvid, qvod ſit operæ pretium, fecerint. E noſtratibus Theologis Joachimus Zehnerus Themarenſis, Paſtor qvondam ac Superintendens Schleuſingenſis qvinqve ſacrorum Adagiorum centurias edidit Lipſiæ in 4to annô* CIↃIↃCI. *ex univerſo Bibliorum codice collectas, ipſiqve paullo ante adducto à nobis b. r. Franzio laudatas citatô locô. Adagia illa Paralleliſmis illuſtravit (erat qvippe lectionis multæ Zehnerus & reconditæ eruditionis) tùm Patrum, tùm Gentilium quoqve ſcriptorum,* qvæ, *judice Daniele Georgio Morhofiô* I. *Polyhiſtoris Literarii c. XXI. p.*255. prodeſſe magnoperè poſſunt ad orationes ſacras. *Scripſit & poſt paullò à biennio, aut etiam paullò amplius, Similitudines Biblicas, qvæ adagiorum vicem obtinent, & iis accenſeri optimè poſſunt, & eundem ad uſum transferri; Ultimô locô Similitudinum Biblicarum παρελειπόμενα, pro ratione materiarum congruentium (ita enim habet inſcriptio libri) in locos communes digeſta. Addidit & indicem, qvô diſponit ſimilia ſecundùm ſcripturam. Qvæ omnia prodierunt Lipſiæ annô M. DC. IIII. in* 4. *neqve hic, niſi eruditorum in Bibliothecis comparent. Druſium & Zehnerum praeuntes habens ſcripſit Martinus del Rio Antverpienſis, Jeſuita, & S. Scripturæ publicus, Salmanticæ Profeſſor, auctor ſatis notus è Diſqviſitionibus ſuis Magicis, aliiſqve*

qve ſcriptis, Adagialia Sacra Veteris (*non* Novi, *ut falsò titulus libri fert*) *Teſtamenti in duas partes diſtincta, & jam tertiâ vice Lugduni impreſſa annô M. DC.XVIII. in 4to. Iſtis duobus viris etſi non rarò is utatur: qvod, qvantum ad Zehnerum attinet, oſtendit Doctor noſter Martinus Gejer in Proverb. XII. 11. p.634. Eorum tamen nomina ſtudioſè celat ſolemni Jeſuitarum more, qvibus, ut ait Grotius Epiſtolâ CCLXV. ad Salmaſium*, hæreticos, niſi contumeliæ cauſâ, nominare piaculum eſt. *Cùm tamen doctiſſimorum in promptu Jeſuitarum exempla ſint, tota folia, ſuppreſſis auctorum nominibus, talibus ex hæreticis deſcribentium. Druſium qvidem Del Rio innuit his verbis p. 11. ſub finem Prologi*: Sacras paræmias ex Catholicis Polydorus, & qvidam alii colligere cœperunt; ſed planè, ne qvid dicam aſperius, jejunè & indiligenter eas tantùm delibârunt. Videre licet in farragine Adagiorum, qvæ Pariſiis prodiit ex Sonnii typographîo: poſtea qvoqve illa ipſa Manutius profanis miſcuit. Ex Novatoribus, Calvinianus unus (qvem viderim) ſacra ſelegit; parvâ manu & ſterili ſegete: nec ubiqve inoffenſô pede hoc ſtadium decurrit. Præivit mihi hanc viam, & exemplô ſuô excitavit, qvædam etiam ex Rabbinis, & humanioris litteraturæ ſcriptoribus eidem accepta fero. *At de Zehnero ſiletur. E re erit, legere hîc verba Cl. Adami Rechenbergii, qvi Eccleſiæ bonæ vivit:* Sanè præſtaret, *inqvit in docta diſſertatione de Maleſana in Theologia curioſitate* Jenæ CIↃ IↃ C LXXV. *edita*, §. 11. ut ſibi Exegetæ temperarent in curioſa prolixitate qvà *Adagiales phraſes*, qvarum antiqvitas planè incerta eſt. Mart. Delrio in his Adagiis operam navavit non planè inutilem: Sed laudabilior eſſet, ſi ordinatior fuiſſet. Sæpiùs

piùs ornamenta Rhetorica cum adagiis propriè dictis commiſcet. *De ſententia Cl. Morhofii d. l* habentur qvidem illic adagia è Patribus excerpta, ſed imperfectus ille labor eſt, qvem qvidem *Aloyſius Novarinus* ampliorem ſuſcepit, publicatô ejuſdem argumenti librô, qvi tomum ultimum conſtituit lectionum ſuarum *Prodierunt etiam Novarini ſcripta duobus tomis in folio, qvibus multa continentur curioſa ex antiqvitate ſacra collecta, imprimis qvod ad ritus nuptiales ſacros & hoſtias euchariſticas attinet. Ceterùm plurima Zehneri qvoqve compilâſſe Andream Schottum Jeſuitam Antverpianum in Adagiis Novi Teſtam. Antverpiæ Anno* CIↃ IↃ C XII. *impreſſis, ex celeberrimo Dorſcheo noſtro jam dudum obſervatum fuit doctiſſimo & maximè Reverendo Ulmenſium Theologo Eliæ Veielio Ulmano Sect. VI. Diſſertat. de variis Oeconomiæ S. generib. Adde tamen de Schotti adagiis & Morhofium l. Polyhiſt. c. XXI. p. 255. Habes hîc inſuper qvoqve Emundi Merillii, JCti, Conſiliarii regii & Anteceſſoris in Academia Biturigum Primicerii Notas Philologicas in Paſſionem Chriſti primò Pariſiis, poſt Helmeſtadi Annô* CIↃ IↃ C LVII. *longè correctiùs editas; ut titulus habet falsò, neqve enim credentibus perſvaſero, qvàm fœdiſſimis mendis contaminatas ſuſceperim, in qvibus qvodammodo emendandis majorem indubitatè laborem qvàm laudem inveni; ſicuti & hujus veſtigia & verba ſeqvuti non raro Johannis Jacobi Wiſſenbachi Notas Nomico-Philologicas eamdem in Paſſionem JESU CHRISTI Servatoris noſtri ſemel, iterum atqve tertiò impreſſas. Nos ſecundam editionem expreſſimus, qvæ Franekeræ prodiit in 8to. Annô* CIↃ IↃ C LIV. *Sanè ſi verum, uti veriſſimum eſt, qvod Daniel Claſenius JCtus in præfatione eruditiſſimis*

mis ſuis exercitationibus ſacris ad Paſſionem Domini præmiſſa ſcribit: Deprehendi in textu *Paſſionis Chriſti* multa latere, qvæ vix abſqve Antiqvitatum & Jurium notitia poſſent intelligi: *nemini certè non palam erit, nos iis in commentariis denuò provulgandis feciſſe aliqvid qvod eſſet operæ pretium. Ultimò comparet à nobis ſuperiùs laudati Joh. Vorſtii Roſtochl in 4to. editum Annô* CIↃIↃCLI. *Exercitationum Academicarum* Δεμάπον, *in cujus I. diſſeritur de temporibus, qvibus Medi ac Babylonii ab Aſſyriis defecerunt: In II. de LXX. annis captivitatis Hebræorum, & vaſtitatis Hieroſolymitanæ: In III. de tempore, qvô templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit: In IV. de voce Seſach, qvæ* Jerem. *XXV. 26. & LI. 41. legitur, deqve expugnatione Babylonis à Cyro facta: & deniqve in V. de LXX. hebdomadibus annorum, de qvibus Angelus apud Danielem cap. IX. prædixit. Tu, Lector fruere his, Valeqve & pro* cum *p.* 828. *verſu ultimô lege* eum, *pro CLXXXV. in p.* 845. *verſu ultimô CLXXV. pro* τῦς *p.* 876. *v. ult.* τὺς. *pro* ἅγιοι. *in p.* 925. *v.* 20. ἅγιοι· *& pro* perriodi *in p.* 960. *v.* 19. periodi. *Cetera, ſi qvæ ſint, condona.*

IN-

INDEX RERUM.

A.

Acontius (Jacob.) rejicitur à Riveto, laudatur ab Arminianis & aliis Reformatis. 30. ſ.
Ejus epiſtola nunc primùm edita. 131. ſ.
Actorum Apoſtolicorum interpretes. 109
Adagiorum ſacrorum ſcriptores. 235. ſ.
Agrippæ (Cornelii) Lugdunenſis editio mala. 13. 14
qvalis homo fuerit. 14
Albertus M. qvalis ſcriptor? 2. 3
Ambroſii Commentarii in Paulli epiſtolas cenſentur. 87
Angliæ res, & contra Regicidas qvi ſcripſerint. 89. ſ.
Apologiæ Remonſtrantium auctor eſt Epiſcopius, qvi qvid de ea ſentiat, aperit. 128
Arcularius (Daniel) laudatur. 109
Arminii (Jac.) epiſtola qvædam nunc primùm edita. 130
Athanaſio Sermo de cruce & Paſſione ſuppoſitus eſt. 88
Athanaſius non eſt auctor libri de paſſione imaginis Chriſti. 165. ſ.
Athiæ (Joſephi) epiſtola ad Mareſium. 121. ſ.
Avicenna laudatur ac cenſetur. 184. ſ.
unde eruditionem nactus? 186
qvomodo rectè vocetur? 185. ſ.
Auratus (Franciſc.) ab officio remotus. 55

B.

Bergii (Conradi) Praxis Catholica cenſetur à Riveto. 27
Bergii (Johan.) dogma & ejus epiſtola. 37
animus in Lutheranos. 40. ſ.
Berneggerus (Matth.) laudatur. 184
Biblia Hebraica Joſephi Athiæ emendatiſſima. 121

Q Bi-

Bibliotheca Vaticana laudatur. 161
Bochartus de Paradiſo laudatur. 235
Bodinus (Joh.) notatur. 175. ſ.

C.

Calovii (Abrah.) Socinismus profligatus laudatur. 36. 88
Calvini (Joh.) Epiſtola reſponſoria ad Sadoletum laudatur. 17
Camerarius (Joach.) maximè diligitur à Duditio. 140. ſ.
Cantici Canticorum interpretes. 105
Capillus decenter compoſitus modeſtiæ argumentum. 174. ſ.
Cenſus qvid ſignificet? 204. ſ.
qvotuplex. 225
Ciceronis hiſtoriam qvi enarrârunt. 194
Ciſnerus (Nicol.) qvis fuerit, qvidqve ſcripſerit? 147. ſ.
Clotzii (Steph.) modeſtia laudatur. 60. ſ.
Cognatus (Gilb.) laudatur. 179
Cometæ an animæ heroum? 175. ſ.
Conringius (Hermann.) laudatur. 231
Convertendis in hominibus qvæ methodus obſervanda. 49
Cromwelli res qvi ſcripſerunt & vitam. 90
Crowæi Elenchus Scriptorum in S. Scripturam tanti non eſt. 110
Curcellæi (Steph.) laus & epiſtola qvædam nunc primùm edita. 129. ſ.

D.

Damaſcenus an auctor ſit Hiſtoriæ Barlaam & Joſaphat? 159. ſ.
Del Rio Adagia ſcripſit, qvid de iis habendum? 237. ſ.
Dieterici (Joh. Conr.) Antiqvitates notantur. 234
Dolſcius (Paulus) an Syracidem Græcô Elegiacô Carmine reddiderit? 23
Domina & Dominus dicuntur conjuges. 169. ſ.
Donaldſonus (Gvalter.) notatur. 173. ſ.

Dru-

Druſii (Joh.) Proverbiorum liber laudatur. 236
Duditii (Andreæ) verum nomen, elogia, epiſtola nunc primùm edita, variæqve de eo cenſuræ. 138. ſ.
Duræi (Johannis) epiſtola. 42. ſ.
ſtudium concordiæ Eccleſiaſticæ ſanciendæ qvomodo à nonnullis fuerit acceptum. 43. ſ.

E.

Elmenhorſtius (Geverhart.) laudatur. 145
Epiſcopii (Simonis) laus cum epiſtola hactenus inedita. 127. ſ.
Epiſtolæ Mahometis Turcarum Imperatoris qvoties editæ. 26. ſ.
Phalaridis laudantur. 179
veriſſimum continent ſcribendi genus. 180. ſ.
Eraſmi qvinta editio Adnotationum in Novum Teſtam. optima. 200
Euangeliſtarum interpretes enumerantur. 106. ſ.

F.

Fabricii (Franciſci) Ciceronis Hiſtoria laudatur. 190. ſ.
ejus editiones. 191.
Terentius. 192
vita. 193
Faërnus (Gabriel) notatur. 9
Franciſcus I. Galliar. Rex, an unqvam ad Melanchthonē ſcripſerit? 24. ſ.
Freheri (Marqvardi) Diſſertatio laudatur. 213. 224. 225

G.

Galenus notatur. 184. ſ.
Gaza qvid & unde? 201
Geneſin qvi explicârint. 102
Gerhardi (Joh.) Poſtilla Solomonea, ceteriqve ejus Commentarii laudantur. 105. 106. ſ.
Geſneri (Conr.) Bibliotheca qvalis? 191. ſ.
Glaſſii (Salom.) ſcripta. 105
Graſerus (Conr.) laudatur, nolebatqve mortuus in Baſilica ſepeliri. 154. ſ.

Gronov. (Joh. Frid.) de Pecunia vetere laudatur. 230
Griſepſius (Staniſl.) laudatur ab his, culpatur ab illis. 231
Gruterus (Janus) Cæſarem edere voluit. 154

H.

Hæreſeos & Hæretici nomine abutuntur Pontificii. 69. ſ.
Hæretici qvomodo tractandi? 76. ſ.
Hæreticos convertendi Methodus Pontificiorum qvalis? 79. ſ.
Heideggerus (Joh. Henr.) notatur. 101
Heinſius & Rutgerſius qvanti amici fuerint. 10
Herbeſtus (Benedictus) qvis fuerit? 194
Hippocrates vituperatur. 184. ſ.
Hopkinſoni (Johan.) Synopſis Paradiſi laudatur. 232
Horatii editiones & interpretes. 10. 11

I.

Jeſaiæ interpretes. 102. ſ.
Ignatii de Epiſtolis qvid habendum? 33
editiones illarum recenſentur. ibid.
Johannem Euangeliſtam qvi explicârint. 108
Judæi eludunt Chriſtianos. 126
Juſtini editiones. 2

K.

Kirchmannus (Joh.) laudatur de Funeribus. 155
Kirſtenius (Petrus) notatur. 164

L.

Lambinus in Horatium & Plautum notatur. 11. 12
Latus Chriſti apertum. 164
Laus nimia qvomodo excuſanda. 130
Leonardi Leſſii Conſultationis editiones & refutationes. 36. 37
Libri multi inutiles eduntur. 60
Lingelsheimii (G. Michaëlis) epiſtola nunc primùm edita. 155. ſ.

Lipſius

Lipſius notatur. 81
Lycoſthenis Compendium Bibliothecæ Geſneri exigui uſus eſt. 191. ſ.

M.

Magiſtratus conſcientiis ſubjectorum non dominetur. 76. ſ.
Mareſius notatur. 56
Matthæi Euangeliſtæ interpretes. 107
Merula (Paull.) in exemplum laudatur. 110
ejus epiſtola nunc primùm edita. 113. ſ.
Κοσμογραφία laudatur. 111. ſ.
cetera ejus ſcripta recenſentur. 113
Faſti civitatis Dordracenæ. *ibid.*
de Mey (Johann.) notatur. 156. 168
Molinæus (Petrus) notatur. 55
Moncæjus (Franciſcus) notatur. 213. ſ.
Muretus in Terentium notatur. 7. 8

N.

Novarini (Aloyſii) ſcripta laudantur. 239
Nummus qvid & unde derivetur? 203. ſ.

O.

Otto Friſingenſis qvare ita dictus, qviſqve fuerit? 88

P.

Palearii (Aonii) ſtilus & Poëſis laudatur. 19. ſ.
Pancirolli rerum memorabilium libr. editiones. 1. 2
Pappi (Joh.) ſcripta & memoria. 182. ſ.
Paradiſum qvi auctores deſcripſerint. 134. ſ.
Pariſienſis laniena Maximiliano II. improbatur. 72
Paſoris (Matthiæ) modeſtia laudatur. 60
Pentateuchi interpretes. 101. ſ.
Phalaris vituperatur & laudatur. 178. 179. ſ.
Philippus Melanchthon an Syracidem Græcô elegiacô reddiderit carmine? 23
non fuit ſolùm Grammaticus, ceterarumqve rerum rudis. 25
Pichenæ Tacitus commenda-

datur. 154
Pintianus (Ferdinand.) in Plinium laudatur. 3.4
Platinæ nomen, elogium, Hiſtoria, fides, editiones. 69.70
Plauti editiones. 2
Pluralis ponitur non rarò pro ſingulari. 167
Plutarchi editio Pariſina notatur. 12
Pollux, ejuſqve editio hactenus optima laudatur. 203
Poſſevinus (Anton.) laudatur. 117
ſeqvitur in Adparatu ſuo Balæum. *ibid.*
Præfationes veteres novis in librorum editionibus omiſſæ. 1.2.3
Pſalterium qvi inluſtrârint? 105.ſ.

R.

Reges Judæorum an ἀνυπεύθυνοι? 83
Reuterus (Qvirinus) qvis fuerit, & qvid de Cometis ſenſerit? 446
Riveti (Andreæ) notæ MSæ in Conradi Bergii Praxin Catholicam. 28.ſ.
Rudingerus (Eſromus) qvis & qvid ſcripſerit? 195
Rutgerſius & Heinſius qvanti amici. 10

S.

Sabellius refutatur. 134.ſ.
Sadoleti (Jacobi) operum Moguntina editio imperfecta eſt. 17
Salmaſius notatur. 82, 83. ſ. 206
comparatur cum Grotio. 93.ſ.
Defenſio Regia, & Diatribæ de annis climactericis cenſentur. 93.96.ſ.
Epiſt. duæ ineditæ. 97.ſ.
Salomon an rectè Adoniam & Joabum interfici curârit? 86
Sandæi (Maximiliani) calumnia in Philippum refellitur. 24.ſ.
Scaligeri (Joſ.) epiſtolarum editio qvalis? *add.*
Schmidii (Sebaſt.) modeſtia. 61
Schmidius (Joh.) an in Sapientiam Salomonis ſcripſerit? 106
Sepulturæ locus. 154.ſ.
Serarius (Petrus) qviſnam fuerit, qvoſqve libros

ſcripſe-

ſcripſerit? 45. ſ.
Ejus Epiſtola nunc primum edita. 57. ſ.
Simlerus (Joſias) qvid præſtiterit in Bibliotheca Geſneri? 191. ſ.
notatur. 195
Solini editiones. 2
qvalis ſcriptor. 3
Spanhemii (Ezech.) Commentarius de præſtantia & uſu Numiſmatum antiqvorum laudatur. 230
Sqvarcialupus (Marcellus) laudatur. 142
Stoſchii (Barth.) epiſtol. 41
de eo qvid Bergius ſentiat. 40
Surius (Laur.) notatur. 78
Syracidis interpretes. 24

T.

Teiſſier (Anton.) notatur. 25
Terentii editiones. 7
Theologia Polemica non videtur lucroſa. 68
Thuani παραλειπόμενα. 148
Tilenus (Dan.) ab officio remotus laudatur. 54
Titelmannus (Franciſc.) qviſnam fuerit, qvidqve ſcripſerit? 104

V.

Varenii (Aug.) commentarii laudantur. 103. ſ.
Vanini nomina. 176
Velleji Paterculi editiones optimæ. 12. ſ.
Verdierii (Antonii) Bibliotheca Gall. cenſetur. 192
Victruvii editiones. 9. 10
Vincentii Lirinenſis Commonitorium non eſt tantæ auctoritatis. 19. ſ.
Vorſtius (Johan.) qvis fuerit, qvæqve ejus ſcripta? 235
Voſſii (Gerh. Joh.) Hiſtoria Pelagiana excutitur. 114. ſ.
rurſus notatur locus ejus è libro II. de Hiſtoricis Græcis. 160. ſ.
Urſinus (Jo. Henr.) qvos Prophetas interpretatus fuerit. 103
ſcripſit in Proverbia & Eccleſiaſten. 105
Uſſerii (Jacobi) encomium. 40

Z.

Zehnerus (Joach.) cum ſcriptis ſuis laudatur. 237. ſ.

Ad-

In pag. 87. v. 6. *Petrus Apoſtolicæ coronæ princeps.* Scio qvidem ita loqvi veteres, qvorum loca legi poſſunt apud Iſaac. Caſaubon. Exercit. XV. ad Baron. §. XII. pag. 369. 437. Sed an motis à certaminibus ita loqvi conveniat dubito. *Moneo te Lector candide,* ait pag. 377. adductus Caſaubonus, *in his diſputatationibus minùs exercitate, caveas tibi in hac tota controverſia ab hujus nominis homonymia. Nam veteres Latini Patres, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, qvando Petrum vocabant* principem, *cum veteris Latinitatis auctoribus loqvebantur, qvibus* princeps *idem erat ac primus; aut, ſicut eſt in Codice, primicerius.* Sed vide vel Marſilium Patavinum in Defenſore Pacis p. 203. apud Magnum noſtrum D. Gerhardum, in Confeſſione Cathol. Lib II. ait II. c. II. p. m. 532. edit. opt. Francof M. DC. LXXIX. in fol. In p. 101. v. ult. poſt *in fol.* adde 1563. & ſ. In p. 93. v. 9. pro *Muſæo* lege *Muſeo.* p. 107. v. 26. pro *plures* lege *pluris.* p. 125. v. 30. pro *txagitare* lege *exagitare.* Tandem ſcias velim Lector, Joſephi Scaligeri epiſtolam (licet eam offenderim nimis ſerò) Geverhardo Elmenhorſtio ſcriptam, noſtræqve parti Animadverſionum primæ inſertam c VI. §. I. p. 91. legi qvoqve in libro III. Epiſtolarum Scaligeri, n. CCLX. p. m. 547. edit. Lugdun. Bat. M. DC. XXVII. qvæ tunc non ad manus; nec me tamen omninò fruſtra operam hanc ſumſiſſe, cùm Wouwerii nomen ego è MSo addiderim in Scaligeri editis omiſſum. Invenies qvoqve nonnullam differentiam, licet levem; ego maximô ſtudiô ſemper exhibere curo ἀυτόγραφα prout ſunt; qvod in dicta editione minimè factum, ipſa ad Lectorem præfatio docet. Incidi nuper magno meo bono in

egre-